

DIE HEBDOMADIS	LVNAE	MARTIS LUDUS DOMESTICUS IUNIORIBUS TRADITUR	MERCVRII	IOVIS	VENERIS LUDUS DOMESTICUS SENIORIBUS TRADITUR	SATVRNI
HORA II POST MERIDIEM  IUNIORES = .....	A <sup>1</sup> : OPTIMI ANTIQUITATIS AUCTORES [CICERO ET ALII MAGISTRI]	B <sup>1</sup> : PATRES LATINI + SCRIPTORES MEDIÆ ÆTATIS	C <sup>1</sup> : ECCLESIASTICA LATINITAS - CARMINA + EXEMPLA TEMPORIS ARTIUM RENTIARUM	A <sup>2</sup> : OPTIMI ANTIQUITATIS AUCTORES [CICERO ET ALII MAGISTRI]	B <sup>2</sup> : PATRES LATINI + SCRIPTORES MEDIÆ ÆTATIS	C <sup>2</sup> : ECCLESIASTICA LATINITAS - CARMINA + EXEMPLA TEMPORIS ARTIUM RENTIARUM
HORA IV POST MERIDIEM  IUNIORES AC = SENIORES .....	D <sup>1</sup> : LUDUS IUNIORUM CORRIGITUR + ARS SCRIBENDI + LATINITAS DIERUM RENTIARUM	E <sup>1</sup> : DOCENDI RATIONES + 'ACTA DIURNA' + COLLOCUTIONES COTIDIANÆ	F <sup>1</sup> : OPTIMI ANTIQUITATIS POETÆ [VERGILIUS ET ALII VATES]	D <sup>2</sup> : LUDUS SENIORUM CORRIGITUR + ARS SCRIBENDI + LATINITAS DIERUM RENTIARUM	E <sup>2</sup> : DOCENDI RATIONES + 'ACTA DIURNA' + COLLOCUTIONES COTIDIANÆ	F <sup>2</sup> : OPTIMI ANTIQUITATIS POETÆ [VERGILIUS ET ALII VATES]
HORA VI POST MERIDIEM  SENIORES = .....	A <sup>1</sup> : OPTIMI ANTIQUITATIS AUCTORES [CICERO ET ALII MAGISTRI]	B <sup>1</sup> : PATRES LATINI + SCRIPTORES MEDIÆ ÆTATIS	C <sup>1</sup> : ECCLESIASTICA LATINITAS - CARMINA + EXEMPLA TEMPORIS ARTIUM RENTIARUM	A <sup>2</sup> : OPTIMI ANTIQUITATIS AUCTORES [CICERO ET ALII MAGISTRI]	B <sup>2</sup> : PATRES LATINI + SCRIPTORES MEDIÆ ÆTATIS	C <sup>2</sup> : ECCLESIASTICA LATINITAS - CARMINA + EXEMPLA TEMPORIS ARTIUM RENTIARUM

NON NYLLA ITINERA "LITTERATA" [= LATINIS CUM LECTIOIBUS.]  
QVAE FIERI ÆSTIVÆ SCHOLÆ TEMPORE POSSVNT  
ROGATV CONSENSV EFFLAGITATV PARTICIPVM OMNIVM:

A] TOTVM PER DIEM :

POMPEIOS + HERCVLANEVM. Ad SABINAM HORATII VILLAM.  
ARPINVM = INGVNADVLA CICERONIS. TUSCVLVM. VEIOS.  
OETIA ANTIQVA. SVLMOHEM = OVIDII PATRIAM.  
FORMIAS = CICERONIS VILLAM + TIVLVLVM. FVNDOS AC SPVLVNCAM.  
AD LAGVM TRABVMENTVM. HADRIANI VILLAM TIVBVTINAM.  
ROGGAM SICCAM ET FOSSEM NOVAM = THOMÆ AQVINATIS LOGA.

B] DIMIDIUM PER DIEM :

AD FORVM ROMANVM. COLOSSEVM. COLLEM PALATINVM.  
CAPITOLIUM. FLVIVM TIBEREM. AD OBELISCVS ROMANOS.  
PONTIFICIOS HORTOS ARCVS GAVDVLFI. VIAM APPIAM.

LV. Interim Romae gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more maiorum gereret, in adverso loco victor tamen virtute fuisset, hostium agro potiretur, Iugurtham magnificentum ex Albini socordia spem salutis in solitudine aut fuga coegisset habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta dis immortalibus supplicia decernere, civitas trepida antea et sollicita de belli eventu laeta agere, de Metello fama praeclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere tamen necubi hosti opportunus fieret, meminisse post gloriam invidiam sequi. Ita quo clarior erat, eo magis anxius erat, neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant; exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis quam praeda ager vastabatur. Duobus locis haud longe inter se castra faciebant. Ubi vi opus erat, cuncti aderant. Ceterum, quo fuga atque formido latius cresceret, divorsi agebant.

8 Eo tempore Iugurtha per collis sequi, tempus aut locum pugnae quaerere, qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere, modo se Metello, interdum Mario ostendere, postremos in agmine temptare ac statim in collis regredi, rursus aliis, post aliis munitari, neque proelium facere neque otium pati, tantum modo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt neque ab hoste copiam pugnandi fieri, urbem magnam et in ea parte qua sita erat arcem regni nomine Zamam statuit oppugnare, ratus, id quod negotium posebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum ibique proelium fore. At ille quae parabantur a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum invenit. Oppidanus hortatur moenia defendant, additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissimum erat. Praeterea pollicetur in tempore scinet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus, in loca quam maxime occulta discedit, ac post paulo cognoscit Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum, quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit, simul magna voce Siccenses hortatur uti cohortis ab tergo circumveniant; fortunam illis praecleari facinoris casum dare. Si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu aetatem acturos. Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent; tanta mobilitate sese Numidae gerunt. Sed milites Iugurthini paulisper ab rege sustentati, postquam maiore vi hostes urgent, paucis amissis profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit. Id oppidum in campo situm magis opere quam natura munitum erat, nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus pro tempore atque loco paratis rebus cuncta moenia exercitu circumvenit, legatis imperat ubi quisque curaret. Deinde signo dato undique simul clamor ingens oritur neque ea res Numidas terret; infensi intentique sine tumultu manent, proelium incipitur. Romani pro ingenio quisque pars eminus glande aut lapidibus pugnare, alii succedere ac murum modo subfodere modo scalis aggredi, cupere proelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proximos<sup>1</sup> saxa volvere, sudes, pila, praeterea picem sulphure mixtam et taeda ardentia<sup>2</sup> mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat. Nam plerosque iacula tormentis aut manu emissa volnerabant parique periculo sed fama impari boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improvviso castra hostium cum magna manu invadit, remissis qui in praesidio erant et omnia magis quam

2 proelium expectantibus portam irrumpit. At nostri repentino metu percussi sibi quisque pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma capere, magna pars 3 vulnerati aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta memores nominis Romani, grege facto, locum cepere paulo quam alii editiorem neque inde maxuma vi depelli quiverunt, sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrari;<sup>1</sup> sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare.

4 Interim Metellus cum acerrime rem gereret, clamorem ut tumultum<sup>2</sup> hostilem a tergo accepit, dein convorso equo animadvortit fugam ad se vorsum 5 fieri; quae res indicat popularis esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere misit ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum, eumque lacrumans per amicitiam perque rem publicam obsecrat nequam contumeliam remanere in exercitu victore neve hostis inultos abire sinat. Ille brevi mandata 6 efficit. At Iugurtha munimento castrorum impeditus, cum alii super vallum praecipitentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent, multis amissis in 7 loca munita sese recepit. Metellus infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revertitur.

LIX. Igitur postero die, prius quam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet, portas et proxima loca tribunis dispertit, deinde ipse pergit ad oppidum atque uti superiore die 2 murum aggreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit. Qui in proximo locati fuerant, paulisper terri perturbantur, reliqui cito 3 subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent. Quibus illi freti non, uti equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed adversis equis<sup>1</sup> concurrere, implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostis pacne victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrime niti, neque alius in alio magis quam in sese<sup>2</sup> spem habere, pariterque oppidani agere; oppugnare aut parare omnibus locis, avidius alteri alteros 2 sauciare quam semet tegere, clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu, item strepitus armorum ad 3 caelum ferri, tela utrimque volare. Sed illi qui moenia defensabant, ubi hostes paulum modo pugnam remiscent, intenti proelium equestre prospectabant. Eos, uti quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvorteres, ac sicuti audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari aut manu significare aut niti corporibus et ea huc et illuc, quasi vitabundi aut iacientes tela, agitare.

6 Quod ubi Mario cognitum est—nam is in ea parte curabat—consulto lenius agere ac diffidentiam rei simulare, pati Numidas sine tumultu regis proelium 8 visere. Ita illis studio suorum adstrictis repente magna vi murum aggreditur. Et iam scalis egressi milites prope summa ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. 7 Nostri primo resistere, deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant afflicti sunt, ceteri quoquo modo potuere, pauci integri, magna 8 pars vulneribus confecti abeunt. Denique utrimque proelium nox diremit.

LXI. Metellus postquam videt frustra inceptum, neque oppidum capi neque Iugurtham nisi<sup>1</sup> ex insidiis aut suo loco pugnam facere et iam aetatem exactam esse, ab Zama discedit et in eis urbibus quae ad se<sup>2</sup> defecerant satisque munitae loco aut 2 moenibus erant praesidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quae proxima est Numidiae, 3 hiemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriae concedit, sed quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere et eorum perfidia pro armis uti parat.

[3, 1] Ac ne multa et frivola prooemiis odiosus intexam, divus Aurelianus ortus, ut plures loquuntur, Sirmii<sup>4</sup> familia obscuriore, ut nonnulli, Dacia ripensi<sup>5</sup>. [2] Ego autem legisse me memini auctorem, qui cum Moesia genitum praedicaret. Et evenit quidem, ut de eorum virorum genitili solo nesciatur, qui humiliore loco et ipsi plerumque solum genitale confingunt, ut dent posteritati de locorum splendore fulgorem. [3] Nec tamen magnorum principum in rebus summa sciendi est, ubi quisque sit genitus, sed qualis in re p. fuerit. [4] An Platonem magis commendat, quod Atheniensis fuerit quam quod unicum sapientiae munus inluxerit? [5] Aut eo minores inventiuntur Aristoteles Stagiritis Eleatesque Zenon<sup>6</sup> aut Anacharsis Scythia<sup>7</sup>, quod in minimis nati sint viculis, cum illos ad caelum omnis philosophiae virtus extulerit?

[4, 1] Atque ut ad ordinem redeam, Aurelianus modicis ortus parentibus, a prima aetate ingenio vivacissimus, viribus clarus, nullum umquam diem praetermisit, quamvis festum, quamvis vacantem, quo non se pilo et sagittis ceterisque armorum exerceret officiis. [2] Matrem quidem eius Callicrates Tyrius<sup>8</sup>, Graecorum longe doctissimus scriptor, sacerdotem templi Solis<sup>1</sup>, quod in vico eo, in quo habitabant parentes, fuisse dicit. [3] Habuisse quin etiam non nihilum divinationis, adeo ut aliquando marito suo iurgans ingesserit, cum eius et stultitiam increparet et vilitatem: «en imperatoris patrem». Ex quo constat illam mulierem scisse fatalia. [4] Idem dicit auspicia imperii Aureliano haec fuisse: primum pueri eius pelvem serpentem plerumque cinxisse neque umquam occidi potuisse, postremo ipsam matrem, quae hoc viderat, serpentem quasi familiarem occidere noluisse. [5] His accedit quod ex palliolo purpureo, quod Soli sui temporis imperator optulerat, sacerdos mulier crepundia<sup>2</sup> filio fecisse perhibetur. [6] Addit etiam illud, quod vinctum fasceola Aurelianus aquila innoxie de cunis levaverit et in aram posuerit, quae iuxta sacellum forte sine ignibus erat. [7] Idem auctor est vitulum matri eius natum mirae magnitudinis, candidum sed purpurantibus maculis, ita ut haberet in latere uno «ave» et in alio coronam.

[6, 1] Sed ut haec et talia omittamus, fuit decorus ad gratiam, viriliter speciosus, statura procerior, nervis validissimis, vini et cibi paulo cupidior, libidinis rarae, severitatis immensae, disciplinae singularis, gladii exserendi cupidus. [2] Nam cum essent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic et alius, qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus adposuerat «manu ad ferrum», ut si forte quaereretur, quis Aurelianus aliquid vel fecisset vel gessisset, suggereretur «Aurelianus manu ad ferrum» atque cognosceretur.

[3] Privatim huius multa extant egregia facinora. Nam crumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis praesidiariis solus adtrivit. [4] Refert Theoclius<sup>3</sup>, Caesareanorum temporum scriptor, Aurelianus manu sua bello Sarmatico una die quadraginta et octo interfecisse, plurimis autem et diversis diebus ultra nongentos quinquaginta, adeo ut etiam ballistia pueri et saltatiunculas (in) Aurelianus tales (componerent), quibus diebus festis militariter saltarent:

[5] «mille mille mille decollavimus.

Unus homo mille decollavimus.

Mille bibat qui mille occidit.

Tantum vini nemo habet, quantum fudit sanguinis».

[6] Haec video esse perfrivola, sed quia supra scriptus auctor ita eadem ut sunt. Latina suis scriptis inseruit, tacenda esse non credidi.

[21, 1] Cum autem Aurelianus vellet omnibus simul facta exercitus sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, ut Romanum paene solveretur imperium. [2] Et causa quidem huius periculi perfidia et calliditas barbarici fuit motus. [3] Nam cum congredi aperto Marte non possent, in silvas se densissimas contulerunt atque ita nostros vespera incumbente turbarunt. [4] Denique nisi divina ope post inspectionem librorum sacrificiorumque curas monstris quibusdam speciebusque divinis impliciti essent barbari, Romana victoria non fuisset.

[5] Finito proelio Marcomannico Aurelianus, ut erat natura ferocior, plenus irarum Romam petit vindictae cupidus, quam seditionum<sup>2</sup> asperitas suggerebat. Incivilius denique usus imperio, vir alias optimus<sup>3</sup>, seditionum auctoribus interemptis cruentius ea, quae mollius fuerant curanda, compescuit. [6] Interfecti sunt enim nonnulli etiam nobiles senatores, cum his leve quiddam et quod contemni a mitiore principe potuisset vel unus vel levis vel vilis testis obiceret. [7] Quid multa?

DIVUS AURELIANUS  
FLAVI VOPISCI SIRACUSII

Magnum illud et quod iam fuerat et quod non frustra speratum est infamiae tristioris ictu contaminavit imperium. [8] Timeri coepit princeps optimus, non amari, cum alii dicerent perodiendum talem principem, non optandum, alii bonum quidem medicum, sed mala ratione curantem. [9] His actis cum videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus muros urbis Romae dilatavit<sup>1</sup>. Nec tamen pomerio<sup>2</sup> addidit eo tempore, sed postea. [10] Pomerio autem neminem principum licet addere nisi eum, qui agri barbarici aliqua parte Romanam rem p. locupletaverit<sup>3</sup>. [11] Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit Nero<sup>4</sup>, sub quo Pontus Polemoniacus<sup>5</sup> et Alpes Cottiae<sup>6</sup> Romano nomini sunt tributae.

[22, 1] Transactis igitur, quae ad saeptiones atque urbis statum et civilia pertinebant, contra Palmyrenos, id est contra Zenobiam, quae filiorum nomine orientale tenebat imperium<sup>7</sup>, iter flexit. [2] Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis et in Illyrico occurrentes barbaros<sup>8</sup> vicit, Gothorum quin etiam duces Cannaban sive Cannabauden cum quinque milibus hominum trans Danuvium interemit. [3] Atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit eamque nullo certamine optinuit. [4] Multa eius magna et praeclara tam facta quam dicta sunt, sed omnia libro innectere nec possumus fastidii evitacione nec volumus, sed ad intellegendos mores atque virtutem pauca libanda sunt.

[48, 1] Statuerat et vinum gratuitum p. R. dare, ut, quem ad modum oleum et panis et porcina gratuita praebentur<sup>1</sup>, sic etiam vinum daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat. [2] Etruriae per Aureliam<sup>2</sup> usque ad Alpes maritimas ingentes agri sunt hique fertiles ac silvosi. Statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen vellet, gratiam dare<sup>3</sup> atque illic familias captivas constituere, vitibus montes conserere atque ex eo opere vinum dare<sup>4</sup>, ut nihil redituum fiscus acciperet, sed totum p. R. concederet. Facta erat ratio dogae, cuparum, navium et operum. [3] Sed multi dicunt Aurelianus, ne id faceret, praeventum, alii a praef. praetorii suo prohibitum, qui dixisse fertur: «si et vinum p. R. damus, superest, ut et pullos et anseres demus». [4] Argumento est id vere Aurelianus cogitasse, immo etiam facere disposuisse vel ex aliqua parte fecisse, quod in porticibus templi Solis fiscalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda sed pretio. [5] Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse, donasse etiam p. R. tunicas albas manicatas ex diversis provinciis et lineas Afras atque Aegyptias puras, ipsumque primum donasse oraria p. R., quibus uteretur populus ad favorem.

[49, 1] Displicebat ei, cum esset Romae, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Sallusti<sup>5</sup> vel in Domitiae<sup>6</sup> vivere. [2] Miliarem denique porticum in hortis Sallusti ornavit, in qua cotidie et equos et se fatigabat, quamvis esset non bonae valetudinis. [3] Servos et ministros peccantes coram se caedi iubebat, ut plerique dicunt, causa tenendae severitatis, ut alii, studio crudelitatis. [4] Ancillam suam, quae adulterium cum conservo suo fecerat, capite punivit. [5] Multos servos ex familia propria, qui peccaverant, legibus audiendos iudiciis publicis dedit. [6] Senatam sive senaculum<sup>1</sup> matronis reddi voluerat, ita ut primae illic quae sacerdotia senatu auctore meruissent. [7] Calceos mullos et cereos et albos et hederacios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. Cursores eo habitu, quo ipse habebat, senatoribus concessit. [8] Concubinas ingenuas haberi vetuit. Eunuchorum modum pro senatoriis professionibus statuit, idcirco quod ad ingentia pretia pervenissent. [9] Vas argenti eius numquam triginta libras transiit. Convivium de assaturis maxime fuit. Vino russo inaxime delectatus est.

[50, 1] Medicum ad se, cum aegrotaret, numquam vocavit, sed ipse se inedia praecipue curabat. [2] Uxori et filiae annum sigillaricum<sup>2</sup> quasi privatus instituit. [3] Servis suis vestes easdem imperator quas et privatus dedit praeter duos senes, quibus quasi libertis plurimum detulit, Antistium et Gillonem, (qui) post eum ex senatus sententia manu missi sunt. [4] Erat quidem rarus in voluptatibus, sed miro modo mimis delectabatur, vehementissime autem delectatus est fagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam eius aprum integrum, centum panes, berbicem et porcellum comederet, biberet autem infundibulo adposito plus orca.

[5] Habuit tempus praeter seditiones quasdam domesticas fortunatissimum. Populus cum Romanus amavit, senatus et timuit.

Cum divina tua mens et numen, imperator Caesar, imperio potiretur orbis terrarum invictaque virtute cunctis hostibus stratis triumpho victoriaque tua cives gloriarentur et gentes omnes subactae tuum spectarent nutum populusque Romanus et senatus liberatus timore amplissimis tuis cogitationibus consiliisque gubernaretur, non audebam, tantis occupationibus, de architectura scripta et magnis cogitationibus explicata edere, metuens, ne non apto tempore interpellans subirem tui animi offensionem.

Cum vero adtenderem te non solum de vita communi omnium curam publicaeque rei constitutionem habere sed etiam de opportunitate publicorum aedificiorum, ut civitas per te non solum provinciis esset aucta, verum etiam ut maiestas imperii publicorum aedificiorum egregias haberet auctoritates, non putavi praetermittendum, quin primo quoque tempore de his rebus ea tibi ederem, ideo quod primum parenti tuo de eo fueram notus et eius virtutis studiosus. Cum autem concilium caelestium in sedibus immortalitatis eum dedicavisset et imperium parentis in tuam potestatem transtulisset, idem studium meum in eius memoria permanens in te contulit favorem.

Itaque cum M. Aurelio et P. Minidio et Cn. Cornelio ad apparationem balistarum et scorpionum reliquorumque tormentorum refectionem fui praesto et cum eis commoda accepi, quae, cum primo mihi tribuisti recognitionem, per sorosis commendationem servasti.

Cum ergo eo beneficio essem obligatus, ut ad exitum vitae non haberem inopiae timorem, haec tibi scribere coepi, quod animadverti multa te aedificavisse et nunc aedificare, reliquo quoque tempore et publicorum et privatorum aedificiorum, pro amplitudine rerum gestarum ut posteris memoriae traderentur, curam habiturum. Conscripsi praescriptiones terminatas, ut eas adtendens et ante facta et futura qualia sint opera, per te posses nota habere. Namque his voluminibus aperui omnes disciplinae rationes.

## LIBER SEXTVS

Aristippus philosophus Socraticus, naufragio cum eiectus ad Rhodiensium litus animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse ad comites ita dicitur: 'bene speremus! hominum enim vestigia video'. Statimque in oppidum Rhodum contendit et recta gymnasium devenit, ibique de philosophia disputans muneribus est donatus, ut non tantum se ornaret, sed etiam eis, qui una fuerunt, et vestitum et cetera, quae opus essent ad victum, praestaret. Cum autem eius comites in patriam reverti voluissent interrogarentque eum, quidnam vellet domum renuntiari, tunc ita mandavit dicere: eiusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quae etiam e naufragio una possent enare.

Namque ea vera praesidia sunt vitae, quibus neque fortunae tempestas iniqua neque publicarum rerum mutatio neque belli vastatio potest nocere. Non minus eam sententiam augendo Theophrastus, hortando doctos potius esse quam pecuniae confidentes, ita ponit: doctum ex omnibus solum neque in alienis locis peregrinum neque amissis familiaribus et necessariis inopem amicorum, sed in omni civitate esse civem difficilesque fortunae sine timore posse despiciere casus; at qui non doctrinarum sed felicitatis praesidiis putaret se esse vallatum, labidis itineribus vadentem non stabili sed infirma conflictari vita.

Epicurus vero non dissimiliter ait: pauca sapientibus fortunam tribuere, quae autem maxima et necessaria sunt, animi mentisque cogitationibus gubernari. Haec ita etiam plures philosophi dixerunt. Non minus poetae, qui antiquas comoedias graece scripserunt, easdem sententias versibus in scaena pronuntiaverunt, ut Crates, Chionides, Aristophanes, maxime etiam cum his Alexis, qui Athenienses ait oportere ideo laudari, quod omnium Graecorum leges cogunt parentes <ali> a liberis, Atheniensium non omnes nisi eos, qui liberos artibus erudissent. Omnia enim munera fortunae cum dantur, ab ea faciliter adimuntur; disciplinae vero coniunctae cum animis nullo tempore defi-

ciunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae. Itaque ego maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes me arte erudiendum curaverunt, et ea, quae non potest esse probata sine litteraturae encycloque doctrinarum omnium disciplina. Cum ergo et parentium cura et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus commentariorumque scripturis me delectans eas possessiones animo paravi, e quibus haec est fructuum summa: nullas plus habendi esse necessitates eamque esse proprietatem, divitiarum maxime, nihil desiderare. Sed forte nonnulli haec levia iudicantes putant eo esse sapientes, qui pecunia sunt copiosi. Itaque plerique ad id propositum contententes audacia adhibita cum divitiis etiam notitiam sunt consecuti.

## LIBER DECIMVS

Nobili Graecorum et ampla civitate Ephesi lex vetusta dicitur a maioribus dura condicione sed iure esse non iniquo constituta. Nam architectus, cum publicum opus curandum recipit, pollicetur, quanto sumptui adsit futurum. Tradita aestimatione magistratui bona eius obligantur, donec opus sit perfectum. Absoluto autem, cum ad dictum impensa respondit, decretis et honoribus ornatur. Item si non amplius quam quarta in opere consumitur, ad aestimationem est adicienda, de publico praestatur, neque ulla poena tenetur. Cum vero amplius quam quarta in opere consumitur, ex eius bonis ad perficiendum pecunia exigitur.

Utinam dii immortales fecissent, ea lex etiam P. R. non modo publicis sed etiam privatis aedificiis esset constituta! Namque non sine poena grassarentur inperiti, sed qui summa doctrinarum subtilitate essent prudentes, sine dubitatione profiterentur architecturam, neque patres familiarum inducerentur ad infinitas sumptuum profusiones, et ut e bonis eicerentur, ipsique architecti poenae timore coacti diligentius modum impensarum ratiocinantes explicarent, uti patres familiarum ad id, quod praeparavissent, seu paulo amplius adicientes, aedificia expedirent. Nam qui quadringenta ad opus possunt parare, si adicient centum, habendo spem perfectionis delectationibus tenentur; qui autem adiectione dimidia aut ampliorē sumptu onerantur, amissa spe et impensa abiecta, fractis rebus et animis desistere coguntur.

Nec solum id vitium in aedificiis, sed etiam in muneribus, quae a magistratibus foro gladiatorum scaenicisque ludorum dantur, quibus nec mora neque expectatio conceditur, sed necessitas finito tempore perficere cogit, id est sedes spectaculorum velorumque inductiones sunt et ea omnia, quae scaenicis moribus per machinationem ad spectationis populo comparantur. In his vero opus est prudentia diligens et ingenii doctissimi cogitata, quod nihil eorum perficitur sine machinatione studiorumque vario ac sollerti vigore.

Igitur quoniam haec ita sunt tradita et constituta, non videtur esse alienum, uti caute summaque diligentia, antequam instituantur opera, eorum expediantur rationes. Ergo quoniam neque lex neque morum institutio id potest cogere et quotannis et praetores et aediles ludorum causa machinationes praeparare debent, visum mihi est, imperator, non esse alienum, quoniam de aedificiis in prioribus voluminibus exposui, in hoc, quod finitionem summam corporis habet constitutam, quae sint principia machinarum, ordinata praeceptis explicare.

Homines veteri more ut ferae in silvis et speluncis et nemoribus nascebantur ciboque agresti vescendo vitam exigebant. Interea quondam in loco ab tempestatibus et ventis densae crebritatibus arbores agitatae et inter se terentes ramos ignem excitaverunt, et eius flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati. Postea re quieta propius accedentes cum animadvertissent commoditatem esse magnam corporibus ad ignis teporem, ligna adicientes et id conservantes alios adducebant et nutu monstrantes ostendebant quae haberent ex eo utilitates. In eo hominum

congressu cum profundebantur aliter e spiritu voces, cotidiana consuetudine vocabula, ut optigerant, constituerunt, deinde significando res sapientius in usu evenire fieri fortuito coeperunt et ita sermones inter se procreaverunt.

60. Proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero adiungit, adeo propere ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permetteret. raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii nec tribuno obiciens eandem conscientiam.

Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. solus quippe Natalis et hactenus prompsit missum se ad aegrotum Senecam ut viseret conquerereturque cur Pisonem aditu arceret: melius fore si amicitiam familiari congressu exercuissent; et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra conloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. haec ferre Gavius Silvanus tribunus praetoriae cohortis et an dicta Natalis suaeque responsa nosceret percontari Senecam iubetur. is forte an prudens ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum saepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit.

61. Seneca missum ad se Natalem conquestumque no-

<sup>1</sup> quis *M* <sup>3</sup> tamquam *Rhomanus*: quanquam *M* <sup>7</sup> mulieri  
*Satria Andressen*: mulieris atria *M*: mulieris Atria *vulgo* <sup>23</sup>  
*Gavius Bekker*: gravius *M* <sup>28</sup> globos *M*: globus *Puteolanus*

mine Pisonis quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit. cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferet causam non habuisse; nec sibi promptum in adulationes ingenium, idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset, ubi haec a tribuno relata sunt Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensus confirmavit, ergo regredi et indicere mortem iubetur. tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere reditum sed flexisse ad Faenium praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo ut exqueretur, fatali omnium ignavia. nam et Silvanus inter coniuratos erat augebatque scelera in quorum ultionem consenserat. voci tamen et aspectui pepercit intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus qui necessitatem ultimam denuntiaret.

62. Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac denegante centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam fructum constantis amicitiae luros. simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis ad firmitudinem revocat, rogans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminetia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret.

<sup>12</sup> reditum] redisse tribunum *Halm* <sup>25</sup> fructum *Halm*: tam *M*:  
tum *Muretus* pretium post amicitiae add. *Nipperdey* <sup>30</sup> post]  
quam *M* fratresque *Nipperdey*

63. Vbi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque temperaret dolori neu aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solacii honestis toleraret. illa contra sibi quoque destinata mortem adseverat manumque percussoris exposcit. tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, 'vitae' inquit 'delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.' post quae eodem ictu brachia ferro exolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum

lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit; saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo.

64. At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, iubet inhiberi mortem. hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili

<sup>1</sup> velut] ultro *G*: om. *alii* <sup>3</sup> formidinem *dell.*, *Nipperdey*: fortunam *Haase* molitus *Agricola* dolori neu *Heinsius*: doloriem  
*M*: dolori ne *Agricola*: dolorem act. suscipere *Io. Fr. Gronovius*  
<sup>23</sup> iubet add. *Heinsius* <sup>27</sup> famam sociatae *Puteolanus*: fama societatem *M*

in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albetibus ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum pridem venenum quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore adversum vim veneni. postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce libare se liquorem illum Iovi liberatori. exim balneo inlatus et vapore eius exanimatus sine ullo funeris sollemni crematur. ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret.

65. Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio neque tamen ignorante Seneca destinavisse ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto. quin et verba Flavi vulgabantur, non referre dedecori si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet, quia ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

66. Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fellit, accensis indicibus ad prodendum Faenium Rufum, quem eundem conscium et inquisitorem non tolerabant. ergo instanti minitanti renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam ipsum, hortaturque ultro redderet tam bono principi vicem. non vox adversum ea Faenio, non silentium, sed verba sua praepediens et pavoris manifestus, ceterisque ac maxime Cervario Proculo equite Romano ad convincendum eum conisis, iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur vinciturque.

<sup>5</sup> quod anti *M* <sup>14</sup> Flavum *Bekker*: flavium *M* (item l. 19 flavii)  
<sup>17</sup> in sontibus *Jansen* <sup>19</sup> dedecoris *Heinsius* <sup>23</sup> accensis  
*Lipsius*: accensis quoque *M* <sup>27</sup> faenius *M*: scel. *Ritter* <sup>29</sup>

67. Mox eorundem indicio Subrius Flavius tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum; dein, postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus. interrogatusque a Nerone quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset, 'oderam te' inquit, 'nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius extitisti.' ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant, nec minus nosci decebat militaris viri sensus incompotos et validos. nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens erat. poena Flavi Veiano Nigro tribuno mandatur. is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam Flavius ut humilem et angustam increpans, circumstantibus militibus, 'ne hoc quidem' inquit 'ex disciplina.' admonitusque fortiter protendere cervicem, 'utinam' ait 'tu tam fortiter ferias!' et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem iactavit, sesquiplaga interfectum a se

I. *Scr. in Epiro inter Non. et Id. Ian., ut videtur, a. 706 (48).*

EPP. AD ATTICVM

XI

CICERO ATTICO SAL.

1 ACCEPI a te signatum libellum quem Anteros attulerat; ex quo nihil scire potui de nostris domesticis rebus. De quibus acerbissime adffictor quod qui eas dispensavit neque adest istic neque ubi terrarum sit scio. Omnem autem spem habeo existimationis privatarumque rerum in tua erga me mihi perspectissima benevolentia. Quam si his temporibus miseris et extremis praestiteris, haec pericula quae mihi communia sunt cum ceteris fortius feram; idque ut facias 2 te obtestor atque obsecro. Ego in cistophoro in Asia habeo ad sestertium bis et vicens. Huius pecuniae permutatione fidem nostram facile tuebere; quam quidem ego nisi expeditam relinquere me putassem credens ei cui tu scis iam pridem minime credere *me debere*, commoratus essem paulisper nec domesticas res impeditas reliquissem. Ob eamque causam serius ad te scribo quod sero intellexi quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro ut me totum tuendum suscipias, ut, si ii salvi erunt quibuscum sum, una cum iis possim incolumis esse salutemque meam benevolentiae tuae acceptam referre.

II *Scr. in Epiro aliquanto post Non. Febr., ut videtur, a. 706 (48).*

CICERO ATTICO SAL.

Litteras tuas accepi pr. Non. Febr. eoque ipso die ex 1 testamento crevi hereditatem. Ex multis meis miserrimis curis est una levata si, ut scribis, ista hereditas fidem et famam meam tueri potest; quam quidem intellego te etiam sine hereditate tuis opibus defensurum fuisse. De dote 2 quod scribis, per omnis deos te obtestor ut totam rem suscipias et illam miseram mea culpa et neglegentia tuare meis opibus si quae sunt, tuis quibus tibi molestum non erit facultatibus. Quoi quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te, noli pati. In quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? Iam illa HS LX quae scribis nemo mihi umquam dixit ex dote esse detracta; numquam enim essem passus. Sed haec minima est ex iis iniuriis quas accepi; de quibus ad te dolore et lacrimis scribere prohibeor. Ex ea pecunia quae fuit in Asia partem dimidiam fere 3 exegi. Tutius videbatur fore ibi ubi est quam apud publicanos.

Quod me hortaris ut firmo sim animo, vellem posses aliquid adferre quam ob rem id facere possem. Sed si ad ceteras miseras accessit etiam id quod mihi Chrysippus dixit parari (tu nihil significasti) de domo, quis me miserior uno iam fuit? Oro, obsecro, ignosce. Non possum plura scribere. Quanto maerore urgear profecto vides. Quod si mihi commune cum ceteris esset qui videntur in eadem causa esse, minor mea culpa videretur et eo tolerabilior esset. Nunc nihil est quod consoletur, nisi quid tu efficis, si modo etiam nunc effici potest ut ne qua singulari adficiar calamitate et iniuria.

4 Tardius ad te remisi tabellarium quod potestas mittendi non fuit. A tuis et nummorum accepi HS LXX et vestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi videbitur velim des litteras meo nomine. Nosti meos familiaris. Si signum requirent aut manum, dices me propter custodias ea vitasse.

III *Scr. in castris Pompei Id. Iun. a. 706 (48).*

CICERO ATTICO SAL.

1 Quid hic agatur scire poteris ex eo qui litteras attulit. Quem diutius tenui quia cotidie aliquid novi exspectabamus; neque nunc mittendi tamen ulla causa fuit praeter eam de qua tibi rescribi voluisti, quod ad Kal. Quint. pertinet quid vellem. Vtrumque grave est et tam gravi tempore periculum tantae pecuniae et dubio rerum exitu ista quam scribis abruptio. Qua re ut alia sic hoc vel maxime tuae curae benevolentiaeque permitto et illius consilio et voluntati; cui miserae consulissem melius, si tecum olim coram potius quam per litteras de salute nostra fortunisque delibera- vissem.

2 Quod negas praecipuum mihi ullum *in communibus* incommodis impendere, etsi ista res non nihil habet consolationis, tamen etiam praecipua multa sunt quae tu profecto vides et gravissima esse et me facillime vitare potuisse. Ea tamen erunt minora si, *ut* adhuc factum est, administratione diligentiaque tua levabuntur.

3 Pecunia apud Egnatium est. Sit a me ut est. Neque

enim hoc quod agitur videtur diuturnum esse posse, ut scire iam possim quid maxime opus sit; etsi egeo rebus omnibus, quod is quoque in angustiis est quicum sumus; cui magnam dedimus pecuniam mutuam opinantes nobis constitutis rebus eam rem etiam honori fore. Tu ut antea fecisti, velim si qui erunt ad quos aliquid scribendum a me existimes ipse conficias. Tuis salutem dic. Cura ut valeas. In primis id quod scribis omnibus rebus cura et provide ne quid ei desit de qua scis me miserrimum esse. Idibus Iuniis ex castris.

IV *Scr. in castris Pompei Id. Quint. a. 706 (48).*

CICERO ATTICO SAL.

Accepi ab Isidoro litteras et postea datas binas. Ex 1 proximis cognovi praedia non venisse. Videbis ergo ut sustentetur per te. De Frusinati, si modo fruituri sumus, erit mihi res opportuna. Meas litteras quod requiris, impedi- or inopia rerum quas nullas habeo litteris dignas, quippe cui nec quae accidunt nec quae aguntur ullo modo probentur. Vtinam coram tecum olim potius quam per epistulas! Hic tua, ut possum, tueor apud hos. Cetera Celer. Ipse fugi adhuc omne munus eo magis quod ita nihil poterat agi ut mihi et meis rebus aptum esset.

IV a *Scr. Dyrrhachi inter xvi et xii K. Quint. a. 706 (48).*

CICERO ATTICO SAL.

Quid sit gestum novi quaeris. Ex Isidoro scire poteris. (2) Reliqua non videntur esse difficiliora. Tu id velim quod scis me maxime velle cures, ut scribis et facis. Me conficit sollicitudo ex qua etiam summa infirmitas corporis. Qua levata ero una cum eo qui negotium gerit estque in spe magna. Brutus amicus; in causa versatur acriter.

Hactenus fuit quod caute a me scribi posset. Vale. De pensione altera, oro te, omni cura considera quid faciendum sit, ut scripsi iis litteris quas Pollex tulit.

V *Scr. Brundisi pr. Non. Nov. a. 706 (48).*

CICERO ATTICO SAL.

1 Quae me causae moverint, quam acerbae, quam graves, quam novae, coegerintque impetu magis quodam animi uti quam cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere. Fuerunt quidem tantae ut id quod vides effecerint. Itaque nec quid ad te scribam de meis rebus nec quid a te petam reperio; rem et summam negoti vides.

Equidem ex tuis litteris intellexi et iis quas communiter cum aliis scripsisti et iis quas tuo nomine, quod etiam mea sponte videbam, te subita re quasi debilitatum novas rationes 2 tuendi mei quaerere. Quod scribis placere ut propius accedam iterque per oppida noctu faciam, non sane video quem ad modum id fieri possit. Neque enim ita apta habeo deversoria ut tota tempora diurna in iis possim consumere, neque ad id quod quaeris multum interest utrum me homines in oppido videant an in via. Sed tamen hoc ipsum sicut alia considerabo quem ad modum commodissime fieri posse videatur.

3 Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere plures litteras non potui; iis tantum rescripsi a quibus acceperam. Tu velim et Basilo et quibus praeterea videbitur, etiam Servilio conscribas, ut tibi videbitur, meo nomine. Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos scripsi, his litteris profecto intellegis rem mihi desse de qua scribam, non voluntatem.

Quod de Vatino quaeris, neque illius neque cuiusquam 4 mihi praeterea officium dasset, si reperire possent qua in re me iuarent. Quintus aversissimo a me animo Patris fuit. Eodem Corcyra filius venit. Inde profectos eos una cum ceteris arbitror.

VI *Scr. Brundisi in K. Dec. a. 706 (48).*

CICERO ATTICO SALVTEM DICIT.

Sollicitum esse te cum de tuis communibusque fortunis 1 tum maxime de me ac de dolore meo sentio. Qui quidem meus dolor non modo non minuitur cum socium sibi adiungit dolorem tuum sed etiam augetur. Omnino pro tua prudentia sentis qua consolatione levari maxime possim. Probas enim meum consilium negasque mihi quicquam tali tempore potius faciendum fuisse. Addis etiam (quod etsi mihi levius est quam tuum iudicium, tamen non est leve) ceteris quoque, id est qui pondus habeant, factum nostrum probari. Id si ita putarem, levius dolerem. 'Crede' 2

Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque in 57  
ea aetate, diuitiis praepollens; eaque ipsa causa belli fuit,  
quod rex Romanus cum ipse ditari, exhaustus magnificentia  
publicorum operum, tum praeda delenire popularium animos  
2 studebat, praeter aliam superbiam regno infestos etiam quod  
se in fabrorum ministeriis ac seruili tam diu habitos opere ab  
3 rege indignabantur. Temptata res est, si primo impetu capi  
Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione munitioni-  
4 busque coepti premi hostes. In his statuis, ut fit longo  
magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus  
5 tamen magis quam militibus; regii quidem iuuenes interdum  
6 otium conuiuio comisationibusque inter se terebant. Forte  
potantibus his apud Sex. Tarquinius, ubi et Collatinus cena-  
bat Tarquinius, Egeri filius, incidit de uxoris mentio. Suam  
7 quisque laudare miris modis; inde certamine accenso Colla-  
tinus negat uerbis opus esse; paucis id quidem horis posse  
sciri quantum ceteris praestet Lucretia sua. 'Quin, si uigor  
iuuentae inest, conscendimus equos inuisimusque praesentes  
nostrarum ingenia? id cuique spectatissimum sit quod neco-  
8 pinato uiri aduentu occurrerit oculis.' Incaluerant uino;  
'Age sane' omnes; citatis equis auolant Romam. Quo  
cum primis se intendentibus tenebris peruenissent, pergunt  
9 inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias  
nurus, quas in conuiuio luxuque cum aequalibus uiderant  
tempus terentes sed nocte sera deditam lanae inter lucu-  
brantes ancillas in medio aedium sedentem inueniunt.  
Muliebri certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adueniens 10  
uir Tarquiniique excepti benigne; uictor maritus comiter  
inuitat regios iuuenes. Ibi Sex. Tarquinius mala libido  
Lucretiae per uim stuprandae capit; cum forma tum spec-  
tata castitas incitat. Et tum quidem ab nocturno iuuenali 11  
ludo in castra redeunt.

Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino 58  
cum comite uno Collatiam uenit. Vbi exceptus benigne;  
ab ignaris consilii cum post cenam in hospitale cubiculum  
deductus esset, amore ardens, postquam satis tuta circa  
sopitique omnes uidebantur, stricto gladio ad dormientem  
Lucretiam uenit sinistraque manu mulieris pectore oppres-  
so 'Tace, Lucretia' inquit; 'Sex. Tarquinius sum; ferrum  
in manu est; moriere, si emiseris uocem.' Cum pauida ex 3  
somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem uideret,  
tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus  
minas, uersare in omnes partes muliebrem animum. Vbi ob-  
4 stinatam uidebat et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad  
nietum dedecus: cum mortua iugulatum seruum nudum posi-  
turum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo ter-  
5 rore cum uicisset obstinatam pudicitiam uelut (ui) uictrix  
libido, profectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore  
muliebri esset, Lucretia maesta tanto malo nuntium Romanum  
eundem ad patrem Ardeamque ad uirum mittit, ut cum  
singulis fidelibus amicis ueniant; ita facto maturatoque opus  
esse; rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio 6  
Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto uenit, cum quo  
forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat conuentus.  
7 Lucretiam sedentem maestam in cubiculo inueniunt. Ad-  
uentu suorum lacrimae obortae, quaerentique uiro 'Satin  
salue?' 'Minime' inquit; 'quid enim salui est mulieri  
amissa pudicitia? Vestigia uiri alieni, Collatine, in lecto sunt  
tuo; ceterum corpus est tantum uiolatum, animus insons;  
mors testis erit. Sed date dexteram fidemque haud impune  
8 adultero fore. Sex. est Tarquinius qui hostis pro hospite  
priore nocte ui armatus mihi sibi, si uos uiri estis, pesti-  
9 ferum hinc abstulit gaudium.' Dant ordine omnes fidem;  
consolantur aegram animi auertendo noxam ab coacta in  
auctorem delicti: mentem peccare, non corpus, et unde con-  
siliium afuerit culpam abesse. 'Vos' inquit 'uideritis quid  
10 illi debeatur: ego me etsi peccato absoluo, supplicio non  
libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo uiuet.'  
11 Cultrum, quem sub ueste abditum habebat, eum in corde  
12 defigit, prolapsaque in uolnus moribunda cecidit. Conclamat  
59 uir paterque; Brutus illis luctu occupatis cultrum ex uolnere  
Lucretiae extractum, manantem cruore prae se tenens, 'Per  
hunc' inquit 'castissimum ante regiam iniuriam sanguinem  
iuro, uosque, di, testes facio me L. Tarquinius Superbum  
cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro igni  
quacumque dehinc ui possim exsecuturum, nec illos nec  
2 alium quemquam regnare Romae passurum.' Cultrum deinde  
Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus mira-  
culo rei, unde nouum in Bruti pectore ingenium. Vt prae-  
ceptum erat iurant; totique ab luctu uersi in iram, Brutum  
iam inde ad expugnandum regnum uocantem sequuntur  
ducem.

Elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt, con- 3  
cientque miraculo, ut fit, rei nouae atque indignitate homines.  
Pro se quisque scelus regium ac uim queruntur. Mouet 4  
cum patris maestitia, tum Brutus castigat lacrimarum  
atque inertium querellarum auctorque quod uiros, quod  
Romanos deceret, arma capiendi aduersus hostilia ausos.  
Ferocissimus quisque iuuenem cum armis uoluntarius adest; 5  
sequitur et cetera iuuentus. Inde patre praeside relicto  
Collatae [ad portas] custodibusque datis ne quis eum motum  
regibus nuntiaret, ceteri armati duce Bruto Romam profecti.  
Vbi eo uentum est, quacumque incidit armata multitudo, 6  
pauorem ac tumultum facit; rursus ubi anteire primores  
ciuitatis uident, quidquid sit haud temere esse rentur. Nec 7  
minorem motum animorum Romae tam atrox res facit quam  
Collatae fecerat; ergo ex omnibus locis urbis in forum curri-  
tur. Quo simul uentum est, praeco ad tribunum celerum,  
in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum aduocauit.  
Ibi oratio habita nequaquam eius pectoris ingenique 8  
quod simulatum ad eam diem fuerat, de ui ac libidine Sex.  
Tarquini, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede,  
de orbitate Tricipitini cui morte filiae causa mortis indignior  
ac miserabilior esset. Addita superbia ipsius regis misc- 9  
raeque et labores plebis in fossas cloacasque exhauriendas  
demersae; Romanos homines, uictores omnium circa popu-  
10 lorum, opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. Indigna  
Ser. Tulli regis memorata caedes et inuecta corpori patris  
11 nefando uehiculo filia, inuocantique uitores parentum di. His  
atrocioribusque, credo, aliis, quae praesens rerum indignitas  
haudquaquam relatu scriptoribus facilia subicit, memoratis  
incensam multitudinem perpulit ut imperium regi abrogaret  
exsulesque esse iuberet L. Tarquinius cum coniuge ac liberis.  
12 Ipse iunioribus qui ultro nomina dabant lectis armatisque,  
ad concitandum inde aduersus regem exercitum Ardeam in  
castra est profectus: imperium in urbe Lucretio, praefecto  
13 urbis iam ante ab rege instituto, relinquit. Inter hunc  
tumultum Tullia domo profugit exsecrantibus quacumque  
incedebat inuocantibusque parentum furias uiris mulieri-  
busque.  
60 Harum rerum nuntiis in castra perlatis cum re noua tre-  
pidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus, flexit  
uiam Brutus—senserat enim aduentum—ne obuius fieret;  
eodemque fere tempore, diuersis itineribus, Brutus Ardeam,  
2 Tarquinius Romam uenerunt. Tarquino clausae portae  
exsiliumque indictum: liberatorem urbis laeta castra ac-  
cepere, exactique inde liberi regis. Duo patrem secuti sunt  
qui exsulatum Caere in Etruscos ierunt. Sex. Tarquinius  
Gabios tamquam in suum regnum profectus ab ultoribus  
ueterum simulatium, quas sibi ipse caedibus rapinisque  
concierat, est interfectus.  
3 L. Tarquinius Superbus regnauit annos quinque et uiginti.  
Regnatum Romae ab condita urbe ad liberatam annos du-  
centos quadraginta quattuor. Duo consules inde comitiis  
centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Ser. Tulli  
creati sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

## AB VRBE CONDITA

## II

Per secessionem plebis Sp. Cassius et Postumius Corni-  
4 nius consulatum inierunt. Iis consulibus cum Latinis popu-  
lis ictum foedus. Ad id feriendum consul alter Romae  
mansit: alter ad Volscum bellum missus Antiates Volscos  
fundit fugatque; compulsos in oppidum Longulam per-  
5 secutus moenibus potitur. Inde protinus Poluscam, item  
Volscorum, cepit; tum magna ui adortus est Coriolos.  
Erat tum in castris inter primores iuuenem Cn. Marcius,  
adulescens et consilio et manu promptus, cui cognomen  
6 postea Coriolano fuit. Cum subito exercitum Romanum  
Coriolos obsidentem atque in oppidanos quos intus clausos  
habebat intentum, sine ullo metu extrinsecus [imminentis]  
belli, Volsciae legiones profectae ab Antio inuasissent, eo-  
demque tempore ex oppido erupissent hostes, forte in  
statione Marcius fuit. Is cum delecta militum manu non 7  
modo impetum erumpentium rettudit, sed per patentem  
portam ferox inrupit in proxima urbis, caedeque facta ignem  
temere arreptum imminentibus muro aedificiis iniicit. Cla- 8  
mor inde oppidanorum mixtus muliebri puerilique ploratu  
ad terrorem, ut solet, primum orto et Romanis auxit animum  
et turbauit Volscos utpote capta urbe cui ad ferendam opem  
uenerant. Ita fusi Volsci Antiates, Corioli oppidum captum; 9  
tantumque sua laude obstitit famae consulis Marcius ut, nisi  
foedus cum Latinis (in) columna aenea insculptum monu-  
mento esset ab Sp. Cassio uno, quia collega afuerat, ictum,  
Postumium Cominium bellum gessisse cum Volscis memoria  
cessisset.

*Lectio prima*

*Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*<sup>1</sup> diebus istis novissimis in servo suo Francisco, quem *Pater misericordiarum et luminum*<sup>2</sup> in tam larga dulcedinis benedictione praevenit, quod, sicut ex vitae ipsius decursu luculenter apparet, non solum de mundialibus tenebris eduxit in lucem, sed et perfectis effecit virtutum praerogativis et meritis celebrem, nec non et praeclaris circa eum crucis ostensis mysteriis insigniter demonstravit illustrem. — Hic nimirum de vallis Spoletanae partibus, civitate Assisi, trahens originem, primumque Ioannes vocatus a matre, dehinc Franciscus a patre, nominationis quidem paternae vocabulum tenuit, sed et rem materni nominis non reliquit. Licet enim inter vanos fuerit hominum filios iuvenili aetate nutritus in vanis et post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente praesidio, nec inter lascivos iuvenes post carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores speravit in pecunia et thesauris<sup>3</sup>.

*Lectio secunda*

Inerat namque iuvenis Francisci praecordiis divinitus indita cum lenitate mansuetudinis quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens, tanta cor illius benignitate repleverat, ut, iam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. In ipso quippe iuventutis flore firma se Domino sponcione constringens, quod numquam, si possibilitas afforet, petentibus pro amore Domini se negaret, dum promissum tam nobile usque ad mortem servare non destitit, ad copiosiora in Deum dilectionis et gratiae incrementa pervenit. Verum, licet hic iugiter in corde ipsius divini amoris vigeret igniculus, ignorabat adhuc adolescens, curis terrenis implicatus, caelestis allocutionis arcanum, donec, facta manu Domini super eum, et castigatus fuit exterius prolixo languoris gravedine et clarificatus interiori sancti Spiritus unctione.

*Lectio tertia*

Corporeis postmodum viribus utcumque resumptis menteque mutata in melius, cum militem quemdam nobilem quidem genere, sed inopem rebus obviis in sperato habuisset occursum, generosi Regis et pauperis Christi memor effectus, tanta fuit erga virum pietate permotus, ut decentia, quae sibi de novo paraverat, indumenta deponeret illumque protinus, se nudato, vestiret. — Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, palatium speciosum et magnum cum militaribus armis crucis signaculo insignitis is, pro cuius amore militi egeno subvenerat, dignativa sibi revelatione monstravit, necnon visa omnia sua fore militumque suorum, si crucis Christi vexillum constanter assumeret, sub asseverationis certitudine repromisit. Ex tunc a publicae negotiationis tumultu se subtrahens, solitaria loca quaerebat, amica moeroribus; in quibus cum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam, qua sibi perfectionis semitam a Domino postulabat ostendi, ad votum exaudiri promeruit.

*Lectio quarta*

Una quippe dierum, dum sic sequestratus oraret, apparuit ei Christus Iesus veluti cruci confixus, eidem tam efficaciter ingetens evangelicum illud: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*<sup>4</sup>, ut mentem ipsius intrinsecus et incendio dilectionis adureret et absinthio compassionis impleret. Nam et ad praemissae visionis contuitum liquefacta est anima eius, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut et crucifixi Domini plagas oculis mentis interiori quasi iugiter cerneret et vix exterius a lacrimosis gemitibus continere valeret. Igitur cum iam pro dilectione Christi Iesu *omnem substantiam domus suae quasi nihil reputando despiceret*<sup>5</sup>, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum pretiosumque *margaritae*<sup>6</sup> fulgorem, quorum desiderio tractus, sua disponebat cuncta distrahere divoque mercandi modo negotiationem mundanam in evangelicam commutare.

*Lectio quinta*

Egressus itaque semel ad meditandum in agro, cum deambulet iuxta ecclesiam quamdam Sancti Damiani, quae minabatur prae nimia vetustate ruinam, et instigante se Spiritu, eandem causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando consolationis suavitate repletus. Cumque lacrimosis oculis intenderet in dominicam crucem, vocem de ipsa cruce ad se miro quodam modo dilapsam corporeis audivit auribus ter dicentem: «Francisce, vade, repara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur!». Ad cuius stupendae vocis commotionem mirificam vir Dei primum quidem perterritus, dehinc gaudio et admiratione repletus, protinus exsurrexit, totum se recolligens ad perficiendum mandatum de reparanda materialis ecclesiae domo, licet principalis intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus sui sanguinis acquisivit pretioso commercio, sicut eum Spiritus sanctus edocuit, et ipse postmodum sibi familiaribus revelavit.

*Lectio sexta*

Mox cunctis, ut potuit, pro Christi amore distractis, ecclesiae praefatae sacerdoti pauperculo ad ipsius reparationem et pauperum

usum pecuniam obtulit, et quod cum ad tempus secum morari permitteret, suppliciter requisivit. Acquiescente autem illo de mora, sed timore parentum recusante pecuniam, verus ille iam pecuniarum contemptor, in quamdam fenestram pondus metalli proiciens, abiectum velut pulverem vilipendit. — Sentiens autem, ex hoc adversum se patris concitatum esse furorem, ut irac locum daret, diebus aliquibus in quadam occulta fovea ieiunans, orans et lacrimans latuit, tandemque spirituali quadam completus laetitia et *virtute indutus ex alio*<sup>7</sup>, exterius fiducialiter prodit et civitatem constanter intravit. Quem cum iuvenes cernerent facie squalidum et mente mutatum ac per hoc alienatum putarent a sensu lutoque platearum velut stultum impeterent et clamorosis ei vocibus insultarent, famulus Domini nulla prorsus fractus aut mutatus iniuria, ut surdus in omnibus pertransibat.

*Lectio septima*

Prae omnibus autem pater ipsius furens et fremens, tamquam si naturalis esset miserationis oblitus, pertractum domi filium verberibus angere coepit et vinculis, ut, dum eius per molestias corpus attereret, ad mundi blanditias animum inclinaret. Experientia tandem certa cognoscens Domini famulum ad quaecumque aspera pro Christo perferenda promptissimum, cum liquido cerneret, quod cum revocare non posset, coepit eidem vehementer insistere, ut episcopum civitatis una secum adiret eiusque renuntiaret in manibus hereditario iuri paternarum omnium facultatum. Ad quod exsequendum Domini servus ultro se offerens, mox ut pervenit coram antistite, nec moras est passus nec cunctatus de aliquo nec exegit verba nec reddidit: quin potius vestimenta sic cuncta deposuit, quod et femoralia ipsa reiecit totusque coram adstantibus, ut ebrius spiritu, amore illius nudari non horrui, qui nudus pro nobis in cruce pependit.

*Lectio octava*

Solutus exinde mundi contemptor a vinculis terrenarum cupidinum, dum, civitate relicta, securus et liber laudes Domino in medio nemorum gallica lingua cantaret, occurrentibus sibi latronibus, magni Regis praeco non timuit, nec a laude cessavit, utpote qui viator seminudus et vacuus erat et apostolico more *in tribulatione gaudebat*<sup>8</sup>. — Exinde totius humilitatis amator ad obsequendum leprosis se transtulit, ut dum miserabilibus et abiectis personis servitutis iugo se subderet, sui mundique contemptum perfecte prius disceret quam doceret. Et quidem cum prius eos super omne hominum genus horrere soletet, diffusa in eum copiosius gratia, corde tam humili se illorum mancipavit obsequiis, quod et lavabat pedes et ligabat ulcera et educebat putredinem et saniem abstergebat. Inauditi quoque fervoris excessu ulcerosarum plagarum ruebat in oscula, *os suum ponens in pulvere*, ut, *saturatus opprobriis*<sup>9</sup>, carnis supercilium *legi spiritus*<sup>10</sup> potestative subiceret suique dominium, hoste subacto domestico, pacifice possideret<sup>11</sup>.

*Lectio nona*

Igitur cum iam esset in Christi humilitate fundatus ac paupertate dives effectus, quamquam nil prorsus haberet, reparationi tamen ecclesiae, iuxta datum sibi e cruce mandatum, adeo sollicito coepit intendere, ut et corpus attritum ieiuniis oneribus lapidum subderet et elemosynarum subsidia etiam ab illis non abhorreret deprecere, apud quos consueverat abundare. Devotione quoque sibi assistente fidelium, qui praeclaram in viro Dei iam coeperant nosse virtutem, non solum Sancti Damiani, verum etiam principis Apostolorum et Virginis gloriosae ruinosas et derelictas resarcivit ecclesias, ut, quae per eum in posterum Dominus spiritualiter operari disponderet, sensibili foris opere mysterialiter praesignaret. Nam instar reparatae triplicis fabricae ipsius sancti viri ductu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, sicut et vox ad eum facta de cruce, tertio replicans de domus Dei reparatione mandatum, praeeambulum exstitit signum, et nunc in tribus ab eo institutis Ordinibus cernimus esse completum.

DE INSTITUTIONE RELIGIONIS ET EFFICACIA PRAEDICANDI - II

*Lectio prima*

Ecclesiarum itaque trium consummato iam opere, cum in ea quae Virginis erat, moraretur assiduus, illius suffragantibus meritis, quae pretium protulit nostrae salutis, viam perfectionis invenire promeruit per infusum sibi divinitus spiritum evangelicae veritatis. Nam cum una dierum inter Missarum solemnias legeretur Evangelium illud, in quo discipulis ad praedicandum missis evangelica norma in vivendo praescribitur, ne videlicet *possiderent aurum vel argentum nec in zonis pecuniam nec peram deferrent in via nec duas haberent tunicas nec calceamenta nec virgam*<sup>1</sup>, mox in huiusmodi verborum auditu tanta eum virtute Spiritus Christi perunxit et induit, ut in formam vivendi praefatam non solum notitia et affectu, verum etiam vita et habitu transformaret. Illico enim calceamenta deposuit, reiecit baculum, peram et pecuniam abdicavit, unaque contentus tunica, dimissa corrigia, pro cingulo funem sumpsit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficeret et apostolicae rectitudinis regulae se ipsum per omnia coaptaret.



## DE DOCTR. CHRIST., II, ix-x (14-15)

observatio est, ut diximus, nosse istos libros etsi nondum ad intellectum, legendo tamen uel mandare memoriae uel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quae in eis aperte posita sunt, uel praecepta uiuendi uel regulae credendi, sollertius diligentiusque inuestiganda sunt; quae tanto quisque plura inuenit, quantum est intellegentia capacior. In his enim, quae aperte in scripturis posita sunt, inueniuntur illa omnia, quae continent fidem moresque uiuendi, spem scilicet atque caritatem, de quibus libro superiore tractauimus. Tum uero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarum in ea, quae obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. In qua re memoria ualet plurimum; quae si defuerit, non potest his praeceptis dari.

X 15. Duabus autem causis non intelleguntur, quae scripta sunt, si aut ignotis aut ambiguis signis ohteguntur. Sunt autem signa uel propria uel translata. Propria dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta, sicut dicimus bouem, cum intellegimus pecus, quod omnes nobiscum latinae linguae homines hoc nomine uocant. Translata sunt, cum et ipsae res, quas propriis uerbis significamus, ad aliquid aliud significandum usurpantur, sicut dicimus bouem et per has duas syllabas intellegimus pecus, quod isto nomine appellari solet, sed rursus per illud pecus intellegimus euangelistam, quem significauit scriptura interpretante apostolo dicens: *bouem triturantem non infrenabis*.

Desunt A G L M.

X, 1 duabus - 12 infrenabis] Eugipp. exc. CCLV 279 (Kn 826, 5-16).

X, 12 Deut. 25, 4; 1 Tim. 5, 18.

ait: *Et domesticos seminis tui ne despexeris*, alius autem ait: *Et carnem tuam ne despexeris*, uterque sibi met inuicem attestatus est. Namque alter ex altero exponitur, quia et caro possit accipi proprie, ut corpus suum quisque ne despiceret se putaret admonitum; et domestici seminis translate christiani possent intellegi ex eodem uerbi semine nobiscum spiritaliter nati; nunc autem conlato interpretum sensu, probabilius occurrit sententia proprie de consanguineis non despiciendis esse praeceptum, quoniam domestici seminis cum ad carnem retuleris, consanguinei potissimum occurrunt, unde esse arbitror illud apostoli quod ait: *Si quo modo ad aemulationem adducere potuero carnem meam, ut saluos faciam aliquos ex illis*; id est, ut aemulando eos, qui crediderant, et ipsi crederent. Carnem enim suam dixit Iudaeos, propter consanguinitatem. Item illud eiusdem Esaiiae: *Nisi credideritis, non intellegitis*, alius interpretatus est: *Nisi credideritis, non permanebitis*. Quis horum uerba secutus sit, nisi exemplaria linguae praecedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroque magnum aliquid insinuat scienter legentibus. Difficile est enim ita diuersos a se interpretes fieri, ut non se aliqua uicinitate contingant. Ergo, quoniam intellectus in specie sempiterna est, fides uero in rerum temporalium quibusdam cunabulis quasi lacte alit paruulos; nunc autem per fidem ambulamus, non per speciem; nisi autem per fidem ambulauerimus, ad speciem peruenire non possumus, quae non transit, sed permanet per intellectum purgatum nobis cohaerentibus ueritati. Propterea ille ait: *Nisi credideritis, non permanebitis*, ille autem: *Nisi credideritis, non intellegitis*.

Desunt A G L M.

XII, 3/6 Esai. 58, 7. 13/16 Rom. 11, 14. 19 20 Esai. 7, 9. 27/28 cf. II Cor. 5, 7.

XI 16. Contra ignota signa propria magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad scripturarum diuinarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita uarietas. Quamquam et hebraea uerba non interpretata saepe inueniamus in libris, sicut Amen et Alleluia et Racha et Osanna, et si quae sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuissent, seruata est antiquitas, sicut Amen et Alleluia, partim uero in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur sicut alia duo, quae posuimus. Sunt enim quaedam uerba certarum linguarum, quae in usum alterius linguae per interpretationem transire non possunt. Et hoc maxime interiectionibus accidit, quae uerba motum animi significant potius, quam sententiae conceptae ullam particulam; nam et haec duo talia esse perhibentur; dicunt enim Racha indignantis esse uocem, Osanna laetantis. Sed non propter haec pauca, quae notare atque interrogare facillimum est, sed propter diuersitates, ut dictum est, interpretum illarum linguarum est cognitio necessaria. Qui enim scripturas ex hebraea in graecam uerterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus uenit codex graecus et aliquantum facultatis sibi utriusque linguae habere uidebatur, ausus est interpretari.

XII 17. Quae quidem res plus adiuuit intellegentiam quam impediuit, si modo legentes non sint neglegentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum saepe manifestauit inspectio, sicut illud Esaiiae prophetae unus interpres

Desunt A G L M.

18. Et ex ambiguo linguae praecedentis plerumque interpres fallitur, cui non bene nota sententia est, et eam significationem transfert, quae a sensu scriptoris penitus aliena est, sicut quidam codices habent: *Acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem*; *ὄξυς* enim et acutum apud Graecos et uelocem significat. Ille ergo uidit sententiam, qui transtulit: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; ille autem alius ancipiti signo in aliam partem raptus errauit. Et talia quidem non obscura, sed falsa sunt. Quorum alia conditio est; non enim intellegendos, sed emendandos tales codices potius praecipendum est. Hinc est etiam illud, quoniam *μόσχος* graece uitulus dicitur, *μοσχέματα* quidam non intellexerunt esse *plantationes* et *uitulamina* interpretati sunt; qui error tam multos codices praeeoccupauit, ut uix inueniatur aliter scriptum; et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus uerbis: namque *Adulterinae plantationes non dabunt radices altas* conuenientius dicitur quam *uitulamina* quae pedibus in terram gradiuntur, non haerent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cetera contexta custodiunt.

XIII 19. Sed quoniam et, quae sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate atque iudicio conantur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur, quam interpretantur; et plerumque a sensu auctoris deuius aberrat interpres, si non sit doctissimus. Aut linguarum illarum, ex quibus in latinam scriptura peruenit, petenda cognitio est aut habendae interpretationes eorum, qui se uerbis nimis obstrinxerunt; non quia sufficiunt, sed ut ex eis libertas uel error dirigatur aliorum, qui non magis uerba quam sententias

Desunt A G L M.

38/37 Rom. 3, 15; cf. Prou. 1, 16; Ps. 13, 3; Esai. 59, 7. 48/49 Sap. 4, 3.

EXPOSITIO ORATIONIS DOMINICÆ.

Inter omnia quæ fragilitas humana facere potest, unde placere Conditori, vel eum placere valeat, plurimum prodest oratio, si cum pura conscientia et cordis humilitate fiat. Ideo dico cum pura conscientia et cum cordis humilitate, quia si conscientia fuerit corde pravæ voluntatis, vel operis nævo polluta, si cor nostrum inani fuerit elatione repletum, oratio nostra apud Deum non recipitur, nec noster animus exauditur. Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis (Prov. xxviii, 9). Mediator itaque Dei et hominum Homo Christus Jesus humanæ salutis consulens et illi misericorditer providens, inter cætera sanctissimæ doctrinæ verba formam orationis instituit, et quomodo Patrem orare debeamus edocuit dicens: Cum orabitis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare: orantes autem nolite multum loqui sicut ethnici. Putant enim quia in multiloquio suo exaudiantur. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in caelis, etc. (Matth. vi, 5). In hac oratione Dominica septem petitiones esse dignoscuntur. Prima petitio est, Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum: secunda, Adveniat regnum tuum; tertia, Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra; quarta, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; quinta, Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; sexta, Et ne nos inducas in tentationem; septima, Sed libera nos a malo. Amen.

PRIMA PETITIO.

Pater noster, qui es in caelis, etc. Ecce, charissimi, singulis fere diebus clerus et populus, viri et mulieres, sed præcipue diebus solemnibus gregatim ad basilicas evolvunt, vestibus melioribus coram aspectibus hominum singuli pro posse suo se adornant, domum Dei sancti quasi filii Dei communiter intrant, genua flectunt, pectora tundunt, manus expandunt, ora aperiant, preces fundunt, dicentes: Pater noster, sed, quod sine gravi morore dicendum non est, quam multi domum Dei, Dominum deprecaturi ingrediuntur, et quam pauci exaudiantur! Quam multi Dominum vocant in hac oratione: Pater noster, qui non sunt ejus filii, sed illius patris de quo scriptum est: Vos ex patre diabolo estis! (Joan. viii, 44.) Dei non sunt filii, qui jam diu perdidit gratiam; diaboli sunt filii, quia per superbiam eos genuit, et nutrit per culpam. Filii sunt diaboli omnes immundi, concubinarij, ad ultimum avari, maledici, fœneratores, et alii quibuscumque damnahilibus peccatis depravati qui dicunt fratri suo, fatue, qui vident mulierem ad concupiscendum eam. Et quicumque, etsi non perverso opere, perversa tamen a Deo separati sunt voluntate, et (quod multo gravius est, quod magis flendum est) non solum vulgares et indocti laici, verum etiam et innumerabiles nostri temporis sacerdotes, qui sacro peruncti sunt oleo, qui quotidie sacris ornantur vestibus, sacris assistunt altaribus, qui sacramentum Dominici corporis et sanguinis tractare mundissimis manibus debent, Dominum pro se sibi commisisse placere devotis precibus, ipsi, inquam, sordibus vitiorum involvuntur, ipsi maculis peccatorum polluuntur, sed et (quod scelerius est), non solum talibus qualibus multi laici fœdantur sceleribus, sed multo gravioribus, et non in ædificationem, sed in scandalum et in ruinam populum jam positi, omnibus proverbium, risus et contemptus facti sunt. Sciunt etiam tales sacerdotes quod quotidie, quando primam horam Deo decantant, vel semetipsos maledicunt, vel testimonium divinæ maledictionis adversum se dicunt, dum proferunt. Maledicti qui declinant a mandatis tuis (Psal. cxviii, 21).

Quicumque igitur, fratres, Deum in Oratione Dominica Patrem vocat, quicumque ab eo exaudiri desiderat, taliter vivat, ut Deus eum suum filium recognoscat esse per gratiam, qui omnium Pater est per naturam. Alioquin, cum judicabitur, exhibit condemnatus, et oratio hujus fiet in peccatum (Psal. cxviii, 7): Pater noster qui es in caelis. Qui dicit, Pater, captat benevolentiam; qui dicit noster, excludit superbiam. Qui dicit, qui es in caelis, exhibet reverentiam. Qui dicit, Pater, captat benevolentiam, quia pium clamat. Qui dicit, noster, excludit superbiam, quia non sibi arroganter proprium, aut specialem; sed et aliis etiam communem denuntiat. Qui dicit, qui es in caelis, exhibet reverentiam, quia non solum infimis, sed et summis eum præsidere prædicat.

Sanctificetur nomen tuum. Multa sunt nomina divina. Quod ergo nomen petimus sanctificari, cum dicimus, sanctificetur nomen tuum? Nomen Dei fides est Dei, per quam credentibus innotescit. Sanctificetur nomen tuum sanctificetur fides tua, quæ est notitia tui. Sed nunquid nomen Domini non est

sanctificatum et sanctum? Omnes Scripturæ clamas, omnes resonant: Sanctum nomen tuum. Nomen quidem Domini, fratres, sanctum est, sed adhuc in cordibus quorundam amplius sanctificari potest. Potest namque sanctificari in cordibus paganorum, in quibus nondum sanctificatum est per fidem; in cordibus Judæorum, in quibus nondum sanctificatum est per fidei consummationem; in cordibus falsorum Christianorum, in quibus non est sanctificatum per dilectionem. Potest quoque amplius sanctificari in cordibus electorum per majorem fidei confirmationem et majorem Dei et proximorum dilectionem. Quanto etenim quisque perfectius Deum credit et diligit, tanto amplius nomen Patris in se sanctificat et sanctificatum demonstrat. Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. — Sanctificetur nomen tuum in cordibus paganorum, sanctificetur in cordibus Judæorum, ut et illi in te credant, et isti perfectius credant, et utrique diligant. Sanctificetur in cordibus falsorum Christianorum, ut sicut habent per fidem tui cognitionem, sic quoque habeant per affectum et dilectionem. Sanctificetur adhuc in cordibus electorum per majorem claritatem cognitionis, et majorem suavitatem dilectionis: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum.

PETITIO SECUNDA.

Adveniat regnum tuum. Quid est quod petimus dum dicimus: Adveniat regnum tuum? Numquid non habet regnum Deus? nunquid non est rex Deus? Si Deus non est rex, aut si non habet regnum, quid est quod Psalmista ait: Quoniam rex omnis terra Deus, prallite sapienter? (Psal. xlii, 8) Ergo rex est Deus, et regnum habet Deus. Quare ergo petimus ut adveniat regnum ejus? Quando petimus ut adveniat regnum ejus, non petimus ut adveniat in hoc quod jam est, sed in hoc quod nondum est, vel potius manifestetur in eo quod nondum manifestum est. Ad hæc et nascituri sunt multi, qui ad regnum ejus sunt prædestinati; et qui prædestinati necdum sunt de regno ipsius esse, omnibus manifestat. Adveniat ergo regnum tuum, o Pater celestis, ut per naturam carnis generentur ad regnum tuum prædestinati, et per gratiam baptismi regenerentur et fiant, justi, et per claritatem justitiæ omnibus manifestentur esse filii regni tui. Adveniat ergo regnum tuum, ut in fine sæculi, in die judicii, in resurrectione generali, separentur grana a paleis, agni ab hædis, frumentum a zizaniis, et Ecclesia tua quæ est regnum tuum, de pressura sæculi presentis te vocante transeat in gloriam patriæ celestis. Item: Adveniat regnum tuum, ut sicut regnas in justificatis, ita cito regnes in justificandis, et sicut regnas in illis qui jam sunt boni, sic expulsa potestate demonum, regnes et in illis, qui adhuc sunt mali: Adveniat regnum tuum.

PETITIO TERTIA.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Scimus quod in celo nemo sanctorum vel angelorum a voluntate Dei deviat, nemo illi contradicit. Quando ergo fieri poterit, ut non voluntas Dei sita in terra sicut in celo fiat, ut videlicet in terra nemo vel per ignorantiam, vel per fragilitatem humanam delinquat: cum infans unius diei non sit sine peccato: super terram (Job xiv, 4 juxta LXX), et in multis offendamus omnes (Jac. iii, 2). Sed sciendum quod, sicut, non est quantitatis, sed qualitatis, et similitudinem insinuat, non æqualitatem. Si quis edificare domum parvam secundum formam et dispositionem domus majoris, non dicemus de parva domo: Tanta est ista quanta illa major; sed dicemus: Talis est ista qualis illa, talis similitudine, non tanta quantitate. Fiat ergo, o Pater, voluntas tua sicut in caelo per angelos, et per sanctos per primam stolam jam glorificatos, ita in terra per homines justificandos et glorificandos, ut sicut illi faciunt voluntatem tuam in celo, ita eam faciant isti in terra; etsi non secundum æqualitatem; tamen secundum similitudinem: si non secundum illorum perfectionem, tamen secundum perfectionis illorum imitationem. Fiat voluntas tua, non solum in electis per honorum operum exhibitionem, verum et in reprobis per malorum dispositionem. Quamvis vero malorum dispositor, et quamvis sub potestate tua multa sunt mala, nulla tamen relinquas inordinata; et sic fit in omnibus voluntas tua.

PETITIO QUARTA.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Fecit Deus hominem ex substantia duplici, corporea scilicet et spiritali. Quia igitur homo compositus

est ex duabus substantiis, necessarius est ei duplex panis, corporalis et spiritalis. Corporalis reficit corpus, spiritalis animam satiat. Corporalem petimus, quia nisi Deus fecerit terram germinare, non poterit fructus suos ministrare. Spiritualem panem a Deo postulamus, quia nec ipsum nisi ipse dederit percipimus: Hunc habent nobis dispensare sacerdotes, Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut Adelis quis inveniat (1 Cor. iv, 2). Quis vero est nostris temporibus fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore fideliter et prudenter? (Luc. xii, 42). Fideliter quantum ad Deum, ut videlicet cum tanta fide, tanto timore, tanta similitudine, tanta instantia, tanta diligentia, quemadmodum præcipit Dominus, verbum Dei dispenset. Prudenter, quantum ad homines, ut secundum capacitatem singulorum singulos erudiat. Sed, quod sine gravi luctu dicendum non est, mundus sacerdotibus plenus est, et tamen si sit qui bonum audiat, non est qui dicat, juxta illud: Parvuli petierunt panem et non est qui porrigat eis (Thren. iv, 4). Quid dicuntur, quidam moderni sacerdotes in die judicii, qui ordinem sacerdotalem susceperunt, sed inordinate vivere non erubescunt? Quidam vero in convivii et potationibus cum vulgo prorsus indocto, pravis moribus corrupto, tota die sedent, fabulantur, et quæ dicenda non sunt turpiter operantur. Lanis gregis Dominici superbe vestiuntur, lacte pascuntur, et oves fame et penuria verbi Dei moriuntur. Transcunt festa, transit integer annus, quod nec unum verbum de ore ipsorum egreditur, quo plebs sibi commissa erudiat, de malo corrigatur, ad bonum revocetur, et in bono confirmetur. Quotidie tamen se Deo præstare obsequium arbitrantur verba divinæ laudis jubiliant, imo sibilant, et audientes et intendentes sono vocis, gestu corporis scandalizant, non edificant. Cogitare debent hujusmodi sacerdotes animadversiones propheticas adversum se esse prolatas, quibus dicitur: Erit sicut populus, sic sacerdos (Ose. iv, 9). Et item: Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me (Jer. iii, 8). Et illud: Canes multi non valentes latrare (Isa. lvi, 10). Et: Canes impudentissimi nescierunt saturitatem (ibid., 11). Nemo itaque ab istis sacerdotibus expectet sibi, daripanem sacre doctrinæ, quia vel nesciunt docere, vel contemnunt. Considerent potius illi in locis doctos et dignos sacerdotes, bonæ vitæ et famæ; illos adeant et audiant, ab eis doceri suppliciter requirant. Sunt autem quidam prædicatores, qui sicut zizania in agro Domini a diabolo sunt seminati, qui totum mundum cum suis phylacteris peragrunt, et indoctum vulgus et peccatis oneratum verbis mendacibus beatificant, dicentes: Pax, pax, cum non sit pax (Jer. viii, 11). Unde Isaias: Popule meus, qui te beatificant ipsi te seducunt, et viam gressuum tuorum dissipant (Isa. lii, 12). Et iterum: Erunt qui beatificent, et qui beatificantur: præcipitati (Isa. lii, 16). Panem nostrum, Pater, da nobis hodie; pasce, Domine, pasce, in ipsa oves tuas; unctio tua doceat eas de omnibus, ut Spiritus tuus per internam aspirationem vel doctrinam infundat quam talium sacerdotum os mutuum non dispensat. Panem itaque nostrum quotidianum da nobis hodie, panem sicut corporalem et panem spiritualem, panem corporalem, ut facias terram germinare, et fructus suos temporibus suis reddere, panem spirituale, ut inaspres prælati et doctoribus Ecclesiæ tuæ doctrinam tuam sibi traditam studeant feliciter nobis prudenter dispensare. Et si illi non curant panem istum nobis frangere, tu ipse nos pasce per occultam Spiritus tui aspirationem, ut intus per te capiamus panem, quo foris fraudamur per illorum taciturnitatem. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

PETITIO QUINTA.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quam multis timenda, quam multis pernicioza est, fratres, ista oratio! Multis etenim plus confert detrimenti quam augmenti, plus damni quam lucri. Sunt namque quidam, qui per magis vel longam malignitatis vel odiorum inilitiam (al. militiam) obdurati, illos qui per aliquam injuriam facti sunt illis debitores, manibus suis ledere vel jugulare concupiscunt; nec pro timore Dei, sed precibus hominum satisfactionem recipere, vel concordiam facere volunt. De talibus scriptum est: Uva eorum, uva fellis, et botrus amarissimus, Fel draconum vinea eorum, et venenum aspidum insanabile (Deut. xxxii, 32). Qui, cum tales sint, secreto tamen ad ecclesiam confluunt, et coram Deo et altari ejus orantes dicunt: Pater noster, dimitte nobis debita nostra etc. Sed, o misera insipientia!

## EPISTOLA XXVI.

AD MATHELDAM REGINAM ANGLORUM.

(Anno 1080.)

*Quis ad rem commendat. Munera, quae offert, nulla alia et capere est quam vitam castam, verum suam in pauperes erogationem, et proximi dilectionem.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, MATHELDI reginae Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ingenitatis vestrae lectis litteris, quam fidei mente Deo obedias, quanta dilectione fidelibus tuis adhaereas intelleximus. Nos quoque quomodo mentis tuae memoria praesentes contineat, ex amplitudinis tuae promissionibus non minus percipimus, quibus designatis ut quidquid de vestris vellemus, si notum vobis fieret, sine mora susciperemus. Quod, filia charissima, quae suscepimus dilectione et quae munera a te optamus, sic intelligas. Quod enim aurum, quae gemmae, quae mundi hujus pretiosa mihi a te magis sunt expectanda, quam vita casta, rerum tuarum in pauperes distributio, Dei et proximi dilectio? Haec et his similia a te munera optamus, ut integra et simplicia diligas nobilitatem tuam precamur, dilecta obtineas, habita nunquam derelinquas. His armis et similibus virum tuum armare, cum Deus tibi opportunitatem dederit, ne desistas. Caetera quae dimissimus per Hubertum filium et fideliem communem mandamus.

Data Romae, octavo Idus Maii, indictione tertia.

## EPISTOLA XXVII.

AD ROBERTUM REGIS ANGLORUM FILIUM.

(Anno 1080.)

*Monet ut patris monitis acquiescat, eique in omnibus honorem exhibens obediat.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ROBERTO filio regis Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Certi rumores morum tuorum, et tuae prudentiae et liberalitatis, qui usque ad nos pervenerunt, partim dilectione parentum, partim tua, nos laetificaverunt. Qui vero econtra quorundam pravorum consilio aures nostras molestaverunt, ut priores hilarum, sic sinistri nos reddiderunt tristem. Nunc vero, quia per Hubertum filium nostrum audivimus te paternis consiliis acquiescere, pravorum vero omnino dimittere, laetamur. Insuper monemus et paterne precamur, ut menti tuae semper sit infixum quia quam forti manu, quam divulgata gloria quidquid pater tuus possideat ab ore inimicorum extraxerit, sciens tamen se non in perpetuum vivere, sed ad hoc tam viriliter insistere ut haeredi alicui suo dimitteret. Caveas ergo, fili dilectissime, admonemus, ne abhinc pravorum consiliis acquiescas quibus patrem offendas et matrem contristeris. Sint tibi indissolubiliter infixae praecipuae et monita divina: *Honora patrem, et matrem, ut sis longaevis super terram* (Exod. xx; Deut. v). Et illud: *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur* (Exod. xxi). Si vero ex honore patris et matris longior tibi tribuitur vita, econtra si deonestas, quid tribuatur, liceat videas. Si autem ex maledictis mortem filio divina Scriptura intonat, multo certius ex malefactis certiore mortem insinuat. Quid ergo restat, si membrum Christi vis vivere et in mundo isto honeste conversari? Pravorum consilia ex officio nostro praecipimus penitus dimittas, Patris voluntati in omnibus acquiescas.

Data Romae, VIII Idus Maii, indictione III.

## EPISTOLA XIII.

AD SALOMONEM REGEM HUNGARORUM.

(Anno 1074.)

*Queritur quod cum Hungariae regnum juris sit sancti Petri, a Teutonicorum rege in beneficium acceperit. Monet ut illud, correcto errore suo, ab apostolica sede recognoscat.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, SALOMONI (362) regi Hungarorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Litterae tuae ad nos tarde propter moram nuntii tui allatae sunt: quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendisset. Nam, sicut a majoribus patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae sanctae Romanae Ecclesiae proprium est, a rege Stephano (363) olim beato Petro cum omni jure et potestate sua oblatum et devote traditum. Praeterea Henricus (364) pia memoriae imperator ad honorem sancti Petri regnum illud expugnans, victo

rege, et facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque transmisit, et pro gloria triumphii sui illuc regni direxit iostigia, quo principatum dignitatis ejus attingere cognovit. Quae cum ita sint, tu tamen, in caeteris quoque a regia virtute et moribus longe discedens, jus et honorem sancti Petri quantum ad te, imminuisti et alienasti, dum ejus regnum a rege Teutonicorum in beneficium, sicut audivimus, suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam beati Petri, aut nostram benevolentiam sperare debeat, tu ipse, si justitiam vis attendere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, apostolicae, non regiae, majestatis beneficium recognoscas; neque enim nos timore, vel amore, aut aliqua personali acceptione, quantum Deo adjuvante poterimus, debitum honorem ejus, cujus servi sumus, irrequisitum relinquimus. Verum si haec emendare, et vitam tuam ut regem decet, instituere et, Deo miserante, adornare volueris, procul dubio dilectionem sanctae Romanae Ecclesiae sicut matris dilectus filius, et nostram in Christo amicitiam plene habere poteris.

Data Romae v Kalendas Novembris, indictione decima tertia.

## EPISTOLA XIV.

AD HUGONEM ABBATEM CLUNSIACENSEM.

(Anno 1073.)

*Ut litteras suas ad Remensem archiepiscopum admittat, et monachos Sancti Remigii tueatur.*

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, HUGONI abbati Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Noverit sanctitas vestra vos fratres monachos monasterii Sancti Remigii esse quibus apud sedem apostolicam pro consolatione loci sui, quem Manasses Remensis archiepiscopus quotidie dissipat ac confundit, diu commorantibus, non aliud ad praesens solatium opportunius exhibere potuimus, quam quod eidem archiepiscopo litteras pariter cum istis vobis redditis destinavimus; in quibus eum, si cum beato Petro et Romana Ecclesia pacem sperare velit, praefatum monasterium regulariter ordinare, et in quiete dimittere multum rogamus et admonemus; quas ut vestra charitas illi per idoneum nuntium mittat, et nobis quidquid pro his fecerit oblata primum opportunitate rescribat, nostra sollicitudo desiderat. Interim vero fratres istos desolationem loci sui videre fugientes benignitati vestrae commendamus, quatenus de his tandem curam habere non pigeat, donec, miserante Deo, optatam quietem in monasterio suo eos habere posse contingat.

Data Romae II Kalend. Julii, indictione undecima.

## EPISTOLA PRIMA.

AD DESIDERIUM ABBATEM.

(Anno 1073.)

*Nuntiat se invitum in demortui Alexandri pontificis locum suffectum. Rogat ut Deum pro se deprecetur, et ad se quantumcunque veniat.*

GREGORIUS in Romanum pontificem electus DESIDERIO (344) abbati monasterii Sancti Benedicti Montis Cassini salutem in Christo Jesu.

Dominus noster papa Alexander mortuus est, cujus mors super me cecidit, et omnia viscera mea concutiens, penitus conturbavit. Nam in morte quidem ejus Romanus populus, contra morem, ita quievit, in manu nostra consilii frena dimisit ut evidenter appareret ex Dei misericordia hoc provenisse. Unde accepto consilio hoc statuimus ut, post triduanum Jejunium, post litanias, et multorum orationem eleemosynis conditam, divino fulti auxilio statureremus quod melius de electione Romani pontificis videretur. Sed subito cum praedictus dominus noster papa in ecclesia, [Ad Sancti, sicubique] Salvatoris sepulturae traderetur, ortus est magnus tumultus populi et fremitus, et in me quasi vesani insurrexerunt, ita ut cum Propheta possim dicere: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Laboravi clamans, rauca facta sunt fauces mea* (Psal. lxxviii) et: *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae* (Psal. lxxv). Sed quia in lecto jacens, valde fatigatus, satis dictare nequeo, angustias meas enarrare supersedeo. Te itaque pro omnipotentem Dominum rogo, ut suffraganeos fratres et filios, quos in Christo nutris, ad exorandum Deum pro me provocet, et ex vera

charitate invites quatenus oratio, quae me liberare debuit ne incurrerem periculum, saltem tueatur in periculo positum. Tu autem ipse quantocius ad nos venire non praetermittas, qui quantum Romana Ecclesia te indigeat et in prudentia tua fiduciam habeat non ignoras. Dominam Agnetem imperatricem et Rainaldum venerabilem Cumaoum episcopum ex nostra parte saluta et quantum erga nos dilectionis habuerint nunc ut ostendant nostra vice fideliter obsecra.

Data [Datum, et sic semper] Romae XI [IX]. Kalendas Maii, indictione XI.

## I.

*Epistola Gregorii VII ad Lanfrancum Cantuariensem episcopum. De difficultatibus regiminis apostolatus.*

(Anno 1073.)

[Mansi Concil. XX, 374.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo fratri in Christo LANFRANCO venerabili Cantuariorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Qualiter nobis apostolici regiminis honor et onus impositum sit, et quantis undique stringamur angustiis, praesentium tibi portitor indicabit, cui respectu tuae dilectionis etiam nonnulla nostris adhuc familiaribus occulta aperuimus. De caetero in primis fraternitatem tuam rogamus ut Deum pro nobis jugiter exorare non pigeat, et subditos sibi vel conjunctos fraternis nos suis orationibus apud Deum juvare commoneat. Quanto enim in majori periculo positi sumus, tanto amplius tuis et honorum omnium suffragiis indigemus. Nos etenim si divinae vindictae iudicium effugere volumus, contra multos insurgere, et eos in animam nostram provocare compellimur. Nam dum omnes fere, sicut ait Apostolus, quae sua sunt, non quae Jesu Christi, quaerunt (Philip. II), regnorum principes, et hujus mundi potentes, ut cupiditates suas expleant, legem Dei et justitiam non jam negligenter deserunt, sed summis conatibus impugnant: ut illud prophetae nunc sub oculis videamus impletum: *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* (Psal. II). Episcopi vero, et qui pastores animarum esse debent, mundi gloriam et delicias carnis insatiabili desiderio prosequentes, non solum in semetipsis quae sancta, quaeque sunt religiosa confundunt, et [sed] subditos suos ad omne nefas operum suorum exemplo pertrahunt. Quibus non contraire quam nobis periculosum, resistere autem et eorum nequitiam refricare, quam difficile sit, tua prudentia novit. Sed quoniam quos dolores inter has patiamur angustias, ut supra diximus, huic communi filio nostro tibi referendum exeruimus [exaravimus], plura de his dicere supersedemus. Tuam vero fraternitatem, etsi monitore non egeat, impellente tamen nos sollicitudine, admonemus quatenus graviora usquequaque rescare vitia studeat: et, inter omnia et praeter omnia, nefas quod de Scotis audivimus, quod plerique videlicet proprias uxores non solum deserunt, sed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat. Ad haec enim apostolica auctoritate fultum esse volumus, ut non solum in Scotis hoc scelus, sed etiam in aliis, si quos in Anglorum insula tales esse cognoveris; dura animadversione punias, et radicem tanti mali prudenti sarculo correctionis penitus extirpare non differas.

## II.

*Epistola Gregorii VII ad monachos Vallis Umbrosae. Ipsos Joannis Gualberti abbatis Vallumbrosiani discipulos ad imitationem magistri hortatur.*

(Anno 1073.)

[Mansi, Concil. XX, 374.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, clericis, monachis, disciplinam sanctae recordationis Joannis Gualberti abbatis imitantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet veneranda memoriae eundem Joannem patrem vestrum corporeis oculis non viderimus, quia tamen fidei ejus puritas in Tusciae partibus mirabiliter resplenduit, multum eum amore dileximus, ad cujus sanctae conversationis studium, quamvis vos imitatores non ambigimus, ut vigor rectitudinis vestrae ad extirpandam de agro Dominico zizaniam, sollicitius invigilet, attentiusque serveat, paternae vobis exhortationis verba impendimus.

## INCIPIIT DE PASSIONE DOMINI

Die dominica

(16 martii 441)

1. Sacramentum, dilectissimi, dominicae passionis, quam Dominus Iesus, Dei Filius, pro humani generis salute suscepit, et sicut promisit, *omnia ad se exallatus adtraxit*, tam plane ac lucide euangelicus sermo reserauit, ut religiosis et piis cordibus non aliud sit audisse quae lecta sunt, quam uidisse quae gesta sunt. Vnde cum indubitabilem optineat auctoritatem sacra narratio, adnitendum nobis est, auxiliante Domino, ut perspicuum habeat intellegentia quod notum fecit historia. Post illam namque humanae praeuaricationis primam et uniuersalem ruinam, ex quo *per unum hominem peccatum introiuit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, nemo tetram diaboli dominationem, nemo uincula dirae captiuitatis euaderet, nec cuiquam aut reconciliatio ad ueniam, aut reditus pateret ad uitam, nisi coaeternus et coequalis Patri Deo Filius Deus etiam hominis esse filius dignaretur, ueniens *quaerere et saluare quod perierat*, ut quia *per Adam mors*, ita et *per Dominum Iesum Christum esset resurrectio mortuorum*. Non enim quia secundum inscrutabile

3 Cf Io. 12, 32. 10/12 Rom. 5, 12. 17 Lc. 19, 10. 18/19 Cf I Cor. 15, 21.

propositum sapientiae Dei *nouissimis diebus Verbum caro factum est*, ideo salutifer Virginis partus extremi tantum temporis generationibus profuit, et non se etiam in praeteritas refudit aetates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum uerum, omnis numerus apud saecula priora sanctorum, in hac fide uixit et placuit, et neque patriarchis, neque prophetis, neque cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini Iesu Christi salus et iustificatio fuit, quae sicut expectabatur multis prophetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso munere atque opere praesentata.

2. Vnde nunc, dilectissimi, in toto ordine dominicae passionis, non ita infirmitatem consideremus humanam, ut arbitremur illic potentiam defuisse diuinam, neque illam aequalem et coaeternam Patri *formam* Vnigeniti cogitemus, ut putemus non fuisse uera quae Deo uidentur indigna. Prorsus utraque natura unus Christus, nec Verbum ibi ab homine disiunctum, nec homo est dissociatus a Verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec inminuta maiestas. Nihil nocuit naturae inuolabili, quod passibili oportebat inferri, totumque illud sacramentum, quod simul et humanitas consummauit et Deitas, dispensatio fuit misericordiae et actio pietatis. Talibus enim uinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolui. Humilitas igitur

20 Cf. I Petr. 1, 20. 20/21 Io. 1, 14. 33 Cf Phil. 2, 6.

Diuinitatis nostra prouectio est. Nos *tanto redimimur pretio*, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad iustitiam, a miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi et iustus ad impios, et beatus inclinaretur ad miseros?

3. Non est ergo nobis, dilectissimi, erubescenda *crux* Christi, quae de uirtute est diuini consilii, non de conditione peccati. Quamuis enim ex infirmitate nostra uere passus Dominus Iesus, uereque sit mortuus, non tamen ita se abstulit gloria sua, ut inter illas contumelias passionis nihil diuinae operationis exereret. Nam cum impius Iudas, non iam ouina pelle uelatus, sed lupino furore manifestus, uim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis saeuioe omnibus telis osculo praebisset, et multitudo furibunda quae ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluerat, inter faces atque lanternas, lumen uerum tenebris suis obcaecata non cerneret, Dominus, qui expectare potius

turbas quam declinare delegerat, sicut Iohannes euangelista 60 testatur, quem quaerant necdum inuentus interrogat, illisque dicentibus quod Iesum quaerent, *Ego sum*, inquit. Quod uerbum ita illam manum ex ferocissimis congregatam quasi quodam fulmineo ictu strauit et perculit, ut omnes illi atroces, minaces atque terribiles, retroacti corruerent. Vbi fuit 65 saeuitiae conspiratio? Vbi ardor irarum? Vbi instructus armorum? Dominus dicit: *Ego sum*, et ad uocem eius turba

43 Cf I Cor. 6, 20; 7, 23. 52/80 Cf Augustini in Io. tr. 112, 2-3 (CC 36, 634). 83 Cf Mt. 7, 15. 81 Cf Io. 18, 4-5.

prosternitur impiorum. Quid iam poterit maiestas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?

4. Verumtamen Dominus sciens quid magis suscepto mysterio conueniret, in hac potestate non perstitit, sed persecutores suos in facultatem dispositi sceleris redire permisit. Nam si teneri nollet, non utique teneretur. Sed quis hominum posset saluari, si ille se non sineret comprehendi? Nam et beatus Petrus, qui animosiore constantia Domino cohaerebat, 75 et contra uolentorum impetus, feruore sanctae caritatis exarserat, in seruum principis sacerdotum usus est gladio, et aurem uiri ferocius instantis abscidit. Sed hunc zelantis apostoli pium motum progredi Dominus ultra non patitur, recondi gladium iubet, nec sinit se aduersum impios manu ferroque defendi. Contra sacramentum enim erat redemptionis nostrae, ut qui mori pro omnibus uenerat, capi nollet, ne dilato gloriosae crucis triumpho et dominatio diabolica fieret longior et captiuitas humana diuturnior. Dat ergo in se furentibus licentiam saeuendi, nec tamen etiam talibus 85 dedignatur se indicare Diuinitas. Aurem serui iam ipsa sectione demortuum et a conpage corporis uiuentis alienam, in sedem dehonestati capitis reuocat manus Christi. Reformatur quod ipse formauerat, nec tarde caro sequitur eius imperium cuius erat ipsa figmentum.

5. Habent ergo diuinam haec opera uirtutem. Sed quod Do-

74/80 Cf Mt. 26, 51-52. 83/87 Cf Lc. 22, 51 b.

minus maiestatis suae potentiam comprimit, et uim in se persecutoris admittit, ex illa est uoluntate qua *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis*, cooperante in hoc ipsum Patre, qui *Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*. Vna est enim Patris et Filii uoluntas ut est una Diuinitas. De cuius dispositionis effectu, nihil uobis, Iudaei, gratiae, nihil tibi, Iuda, debemus. Saluationi quidem nostrae, uobis non hoc uolentibus, impietas uestra seruiuit, et per uos factum est *quidquid manus Dei et consilium decreuerunt fieri*. Mors igitur Christi nos liberat, uos accusat. Merito soli non habetis quod omnibus perire uoluistis. Et tamen tanta est nostri bonitas Redemptoris, ut etiam uos possitis consequi ueniam, si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim frustra Dominus in 105 cruce orauit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Quod remedium nec te, Iuda, transiret, si ad eam paenitentiam confugisses quae te reuocaret ad Christum, non quae instigaret ad laqueum. Dicendo autem: *Peccauit, tradens sanguinem iustum*, in impietatis tuae perfidia perstitisti, qui Iesum non Deum Dei Filium, sed nostrae tantummodo conditionis hominem etiam inter extrema mortis tuae pericula credidisti, cuius flexisses misericordiam, si eius omnipotentiam non negasses.

92/93 Eph. 5, 2. 94/95 Rom. 8, 32. 99/100 Act. 4, 28. 103 Lc. 23, 34. 108/109 Mt. 27, 4.

Haec hodie, dilectissimi, piis auribus uestris insinuata 115 sufficiant, ne fastidium de prolixitate subrepat. Quae autem desunt plenitudini, quarta feria, auxiliante Domino, reddenda promittimus, quoniam qui dedit quod locuti sumus, dabit, sicut credimus, quod loquamur, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Litteræ consolationis, quas vestra nobis dignata est paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium: aut si saltem nostra circa unum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respirandi possemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia invalescit, multiplicantur injuriæ, non nostræ, sed Christi, imo quia Christi, eo magis nostræ, succedentibus sibi invicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium. Nec aliud consilium superesse, nisi ut ipsum quasi dormientem in navi pro viribus nostris excitantes dicamus: *Domine, salva nos perimus*. Et hoc sane aptiorem malignandi nacta est iniquitas occasionem, quod statum sanctæ Romanæ Ecclesiæ infirmiore conspicit, ut vere liqueat, quod quidquid in caput, sive bonum sive malum, sive dulce sive amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intactam. Eripitur Jesu Christo, quod sanguine suo comparavit. In ipsam ejus sortem potestas sæcularis manum extendit. Adeo ut nec sanctorum Patrum sanctiones, nec statuta canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac jurisdictione huc usque speciali privilegio fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel prosequi scripto, quæ patitur, longum esset et tædiosum, ad vestram mittimus paternitatem magistrum Henricum, fidelcm et familiarcm vestrum et nostrum, in cujus ore posuimus singula, seriatim prout vidit et audivit, vobis exponenda. Et si placet, credite, tanquam si nos loquentes audiretis viva voce. Hoc tamen sciatis, quoniam, si fieri posset, multo libentius vos in persona visiteremus nostra, quam in alia. Loquimur vobis sicut Patri et domino: et quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cum omnia fere referantur ad regem, quæ nobis in conclavi vel in aurem dicuntur. Væ nobis, qui in hæc servati sumus tempora, quorum diebus accesserunt hæc mala! Qui in priori statu tanta potiti fuimus libertate, quam modo dura et pessima servitute recompensamus? Fugissemus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremur; sed quoniam nisi ad eum, qui nostrum refugium et virtus est, ignoramus. De Wallensibus, et Oweno, qui se principem nominat, domine, provideatis, quia dominus rex super hoc maxime motus est et indignatus. Charissime Pater et domine, bene valete.

EPISTOLA III.

AD EUNDEM.

Venerande Pater et domine, quantum Cantuariensis Ecclesia beati Augustini, qui eam tam moribus quam lapidibus fundavit, ejusque successorum vitæ excellentia ac morum prærogativa meruerit exaltari, prudentiam vestram minime latere existimamus. Sane sub eorum sana dispositione et provida dispensatione, primaria dignitate atque primatus honore, multorum privilegiorum attestazione, decorari obtinuit. Siquidem inter omnes occidentales Ecclesias tam dignitate claruit, quam erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam tam fide quam devotione præstitit. Profecto a suæ matris sanctæ Ecclesiæ Romanæ sinu, etiam schismatis tempore in gentibus tribulationibus ad id ipsam mergentibus, avelli nunquam potuit. Cæterum nostris temporibus, in quos fines sæculorum devenerunt, crebris adversitatibus agitata servituti incipit subjici. Nam ecce, qui velut filius ejus tanquam matris ubera ab ineunte fere ætate suxisse dignoscitur, ipsius undique latera conentit, cujus suffragiis ad eum honorem, quo nunc fruitur, ipsum sublimatum fuisse constat. Dominum Eboracensem archiepiscopum loquimur, qui cum omnem reverentiam sæpe fatæ Ecclesiæ impendere deberet, eam pristina dignitate privare molitur. Cum enim in universa provincia nostra antiqua libertate potiremur, temporibus nostris, quod non ante qualibet occasione usurpatum est, sicut ipse optime novit contra crucem crucem erexit, cruci crucem opposuit, Christum significans esse divisum, crucis scandalum suscitavit. Cumque ipse a nobis fraterna charitate admonitus desistere nollet, sanctitatis vestræ litteras, quibus ne id faceret inhibebatur, ei porreximus. At vestrum contemnens mandatum, nihilominus crucem bajulavit. Quid tamen post quatuor pluresve dies nos ad audientiam vestram super falsa suggestionem appellavit, sancti Lucae diem appellationi præfigens. Ad quem, Domino disponente, in promptu ei plenissime responsuri occurreremus. Verum si urgentissima causa impediens præsentiam vestram adire non poterimus, Odonem

subpriorem Ecclesiæ nostræ, procuratorem in præsentia causa, et in omni incidenti quæstione constitutum, nos ratum habituros, quidquid fecerit, firmiter promittentes. Valeat et vigeat semper sanctitas vestra, Pater charissime.

EPISTOLA CLXXVII.

AD HENRICUM II, REGEM ANGLIÆ.

Henrico regi Angliæ, THOMAS Cant. arch. Duplicis rationis consideratio nos hortatur, ut ea, quæ vobis expedire cognoscimus, regiæ majestati prompto et fideli animo suggeramus. Cum sublimitati vestræ sincerissima dilectione conectimur, et extremi retributionem iudicii interioris oculi lumine contemplamur, videmus profecto, quantum nobis immineat, et ea quæ ad gloriam terreni honoris pertinent, prompta vobis exhortatione suggerere, et ab eo quod vestræ salutis renititur, officiosissima vos sollicitudine revocare. Maxime quia si is, cui loqui ex officio datum est, in alienæ salutis discrimine salutifera monita non depromat, se ipsum reum sanguinis fratrum constituit, dum enim, cui necessarium consilium negat, in parvitate viæ suæ mortifera taciturnitate relinquit. Ne autem hoc nostris forsitan ad inventionibus ascribatur, prophetæ vobis verba describimus, quibus dicitur: *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, ut convertatur a via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Nos igitur hac prophetica, imo divina comminatione perterriti, et regiæ celsitudini vestræ fidelis dilectionis fœdere copulati, studuimus semper vobis intrepida commonitione consulere, quod vestræ salutis, quod gloriæ, quod ipsi penitus terreno honori omnimodis putavimus expedire. Specialiter autem in novissimo colloquio vestro, cum licentiam a vobis reditus sumeremus, pia sollicitudine nos vobis exposuisse meminimus, quod quidquid super aliis capitulis vestræ potestatis licentia faceret, illud indignum penitus, et ab omni ratione videbatur extraneum, et non solum humana censura damnabile, sed et divino putabatur iudicio judicandum, quod occasione Cantuariensis archiepiscopi tot alios, viros et mulieres, clericos et laicos, parvulos et protractos, totius omnino regiæ offensionis innoxios, a propriis cogebatis sedibus exulare: maxime cum dicant nonnullos eorum eundem archiepiscopum nulla penitus sanguinis propinquitate contingere. Et quoniam his clementer auditis vera nos dicere dignanter vos recognovistis, et inde mihi responsum bonum post modicum promissistis, miramur, quod nihil ex hoc postea ex vestri parte suscepimus, quamvis hoc ipsum vestris magnis occupationibus imputemus. Rogamus autem, ut juxta datam nobis verbi vestri fiduciam, vestrum circa illos relaxetis edictum, et quod inde feceritis, fidelis amici auribus non celetis.

EPISTOLA CLXXVIII.

AD EUNDEM.

Reverendissimo domino suo Henrico, Dei gratia illustri Anglorum regi, duci Northmannorum, comiti Andegaviæ et duci Aquitanie, THOMAS eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, salutem, et per omnia bene facere. Loqui de Deo valde quietæ et liberæ mentis est. Inde est quod loquar ad dominum meum, et utinam ad omnes pacificum. Obsecro, domine mi, ut cum animi patientia sufferatis aliquid commonitionis, conferentis per gratiam Dei, quæ nunquam vacua est, ad anime vestræ salutem, et meæ liberationem. Angustia mihi sunt undique. Tribulatio enim et angustia invenerunt me inter duo gravissima et timenda constitutum, et inter duo constituta gravissima timidum. Silentium loquor et commonitionem. Si autem silero, mors mihi est, nec effugiam manus Domini dicentis: *Si non annuntiaveris delinquenti delictum suum, et morietur in peccato suo, sanguinem ejus de manu tua requiram*. Si commovero, timeo ne non effugiam manus domini mei, quod absit! indignationem. Ne accidat mihi, quod sapiens ille dicit: *Cum is, qui non placet, ad intercedendum accedit vel mittitur, verendum est, ne irati animus ad deteriora provocetur*. Quid ergo faciam? Loquar, an sileam? Utrobique certe periculum. Verum tamen quoniam tutius est incidere in hominis indignationem, quam in manus Dei viventis, confusus de misericordia Altissimi, in cuius manu corda sunt regum, et quo voluerit inclinabit ea, et utinam in partem meliorem, loquar ad dominum meum, quia semel capti. Multoties enim bona præstantur invitis, maxime cum potius eorum utilitati consulitur quam voluntati. In terra vestra captiva tenetur filia Sion,

sponsa regis magni, oppressa a multis afflictata ab his qui a tempore longo oderunt eam, a quibus honoranda potius esset, quam affligenda: maxime a vobis, habita vobiscum recordatione beneficiorum singulorum, quæ vobis contulit Deus in initio regni vestri, in medio, et fere usque modo. Solvite eam, et permitlite eam conregnare sponso suo, ut beneficiat vobis Deus, et incipiat statim convalescere regnum vestrum, et auferatur opprobrium de generatione vestra, fiatque pax summa in diebus vestris. Credite mihi, dilectissime domine, serenissime princeps. Patiens enim retributor est Dominus. Longanimis expectator, sed gravissimus ultor: audite me, et benefacite. Si autem, verendum est, quod absit! ne accingatur gladio super femur suum Potentissimus, et veniat in manu valida cum militia multa liberare sponsam suam non sine grandi plaga de oppressione et servitute tribulantis. Si vero me audieritis, quoniam necesse habet Dominus in hoc instanti obsequium vestrum experiri tanquam strenui militis sui, beneficiet vobis Deus, et ad let gloriam gloriæ vestræ in progeniem filiorum et filiarum vestrarum usque in tempora longa. Alioquin vereor, quod Deus avertat, ne non deficiat gladius de domo vestra, donec veniat qui ulciscatur de plano suam et suorum injuriam Altissimus; sicut nec de domo Salomonis, a quo, licet eum Dominus elegisset, et contulisset tantam sapientiam et pacem, ut diceretur ab omnibus: *Hic est filius sapientiæ et pacis*, quoniam tamen recessit a via Dei, et ambulavit in iniquitate super iniquitatem, scidit Deus regnum ejus, et dedit illud ejus servo, maxime quia non quæsit subito post delictum placare Dominum, sicut et David pater ejus, qui statim post offensam humiliavit se Domino, emendavit culpam, petivit misericordiam, et obtinuit veniam. Utinam et vos cum Dei gratia similiter faciatis. Hæc vobis ad præsens scribo, cætera in ore latoris præsentium, viri religiosi, et magnæ opinionis, fidelis etiam, et credimus, vestri, posuimus, quibus, quæso, si placet fideliter credatis. Potius tamen desideramus cum gratia vestra benigno vestro uti colloquio. Bene valeat semel et semper dominus meus.

EPISTOLA CLXXV.

AD MAGISTRUM LOMBARDEM.

THOMAS Cantuariensis, magistro Lombardo. Mittimus ad vos latorum præsentium, pauperem clericum, qui de quadam paupere domo est monialium in Anglia Deo servientium, qui vobis diligenter viva voce miseriam et mala sua exponit quæ vos volumus domino papæ pariter cum malis et damnis nostris et Ecclesiæ Cantuariensis, quanto sollicitius poteritis, exponere. Qualiter autem rex Angliæ, dum apud nos fuisset, Ecclesiam Anglicanam, et præcipue Cantuariensem bonis suis et possessionibus spoliaverit, et eam funditus destruere conatus sit, bene nevit vestra discretio. Nunc autem de novo in ignominiam nostram, et ad nostræ confusionis augmentum, per sedem nostram, et per omnes episcopatus vacantes amplissimam communiter extorque exactionem, quod et per omnes ecclesias regi sui, tam magnas quam etiam parvissimas, fieri præcepit: scilicet interventu episcoporum concessit eis pariter et abbatibus, et minoribus clericis per singulas ecclesias hanc fieri per seipsos exactionem, ut ea facta, quidquid exinde perciperent, eidem regi suis omnino assignarent. Præterea nemora, et villas, et omnes possessiones Cantuariensis Ecclesiæ omnino destruit, alienat, et confundit. Ad hæc autem litteras suspensionis nostræ, quas dominus papa, sicut ei placuit, quamvis non promeruerimus, illi regi transmisit per totum regnum suum, nec non specialiter per omnes ecclesias, tam parvissimas quam magnas, publice ad confusionem nostram divulgavit. Hoc quidem vobis veraciter dicimus, quod et domino papæ, quanta poteritis sollicitudine, et amicis nostris intimetis. Latoris præsentium negotium, quantum justitia patitur, amore Dei et nostro promoveatis.

EPISTOLA CLXXVII.

AD MILIARIUM CICESTRENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, Cicestrensi episcopo. Quia dominum regem Angliæ satis superque sustinimus, nec ullum ex eo sustentiam nostræ fructum percepimus, periculosum et intolerabile nobis omnino visum est tantis illius et officialium ejus excessus jam ex hoc, ut hactenus, impunitos relinquere: præsertim cum et nuntiis, et litteris, et modis aliis studuerimus, nec potuerimus eum a perverso proposito revocare.

## Eckius dedolatus

- ECKIUS.  
O magne Olympi rector et mundi arbiter,  
Iam statue tandem gravibus aerumnis modum.  
Quid enim in tantis malis aliud agerem quam τρωϊω-  
δεΐν? Aut est paratragoediare? 5
- O qualis crater Aetnaeo igne refertus  
Per afflictum mihi et miserandum corpus  
Summis a manibus in imos penetrat pedes  
Tabe malefico bilisque umore amaro!  
Quin imis visceribus succensa currit lues 10  
Flammis violentis carnem hanc depascens.  
Pro, quam saevum hoc malum est! Incaluit ardor,  
Urit libras, felle siccato ardet iecur,  
In artus pestis et ossa haec dira incidit.  
Heu, heu, malum hoc taetrum, aestuo totus miser. 15  
Cedo, puer, cantharum! Exhaustus est; iterum imple!  
Iterum cantharum, tibi, puer, dico, iterum reple! Ces-  
sane? Iterum cedo! O quis Ister, o quis Rhenus meos  
exstingueret vapores? Quin nec pater Oceanus ipse.
- PUER. At tu, here, quanto plus bibis, tanto plus sitis: 20  
quid enim Lyaeum Lyaeo superingurgitans aliud agis,  
quam quod flammam igne exstinguere conaris? Quod  
si te liquore puro et a Semeleia prole sciuncto refrige-  
rasses, nec tu ita aestuares, nec ego hodie cantharum  
porrigendo adeo defatigatus essem. 25
- ECKIUS. Atqui, furcifer, hiscere audes? Quin philoso-  
phatur nebulo? Cantharum, inquam, cedo tuoque  
officio fungere et tacens quidem, aut ego tibi ...
- PUER. At ego ab officio meo haud alienum putabam, si  
quae optima forent hero suasissem. Quodsi meis ob-  
temperasses monitis, nec sub initium, cum manus,  
pedes et caput inter verbalissimas nugas dementis  
instar iactitabas ac toto corpore fabulam saltabas insu-  
perque Stentorem clamore exsuperabas, adeo incaluis- 5  
ses, nec nunc quidem tam acerbe sitis haec te cruciaret  
Tantalea.
- ECKIUS. Pro, miseria miserrima! Mancipium hoc largilo-  
quum ad insaniam me hodie rediget. Quin tu siles,  
tervenefice, et cantharum praebes! 10
- PUER. Silebo igitur, quoniam tu ita iubes et fortuna  
iniquissima in me tibi imperium permisit, non ignarus  
pessimam esse sortem servi illius, qui in dementis heri  
servitutum incidit. Bibe igitur aut, si mavis, bibendo  
te suffoca. 15
- ECKIUS. Quid tute tecum garris, mastigia?  
PUER. Nil equidem, canthari forsitan strepitum audisti.
- ECKIUS.  
O fortuna viris invida fortibus,  
Quam non aequa bonis praemia dividis! 20  
Gaude igitur, Martine, et tu, Carolstadic, gaude  
Nec non, Philippe, scholae pulverulente magister,  
nostroque nunc exsatiemini cruciatu, oblectemini do-  
lore; nil enim, ni fallor, gratius vobis evenire posset  
quam Eckium tantis aerumnis, tantis involutum cer- 25  
nere calamitatibus. Sed iterum cantharum, ut Bacchus  
dolores exstinguat tam graves.
- PUER. Iam sitim fr̄is sedasset, nimirum si hodie pluet.
- ECKIUS.  
Pro, lux acerba, quis intus scorpius,  
Quis cancer infixus meas urit medullas,  
Distendit? Ardet felle siccato iecur  
Totumque lentus sanguinem avexit vapor. 5  
Iam tanto dolori impar sum, iam manus do, tormina  
tam dira haud ultra tolerare valeo. Ociter igitur, puer,  
universam amicorum advoca turbam, ut cum his sal-  
tem quae in rem meam sint deliberem. Prius tamen  
cantharum porrigito! 10
- PUER. Quodnam malum? Turbam? Cum vix unus aut  
alter nobis supersit amicus, nec ii satis ex animo.
- ECKIUS. Tamen voca, sed prius vicario substituto, qui  
vices suppleat tuas ac strenue cantharum offerat.
- PUER. Fiat hoc, iam abeo. 15
- ECKIUS. Mane dum ac prius cantharum praebeto. Iam  
abi; ut tamen actutum redeas memento. Ohe!
- PUER. Ructus ructatur, satur est tandem, ollam hanc  
implevimus, probe appotus stertere incipit. Utinam  
reversus illum pensilem inveniam! Tam odiosus et 20  
molestus est non iam alienis tantum, sed et suis, sed et  
amicis, potissimum vero domesticis. -
- AMICI. Salve, magister noster; en, ut iusseras, tibi prae-  
sto sumus. Heus, heus!
- PUER. Vix tarantara merobibum illum excitaret; nec 25  
mirum, quoniam non solum paulo plus adbibit, sed  
tota ferme die cantharum ore, et mordicus quidem,  
retinuit. Evigila, here, adsunt amici!
- ECKIUS. Hem, quam suavem abegisti somnum, omnem  
obdormivi crapulam. Sed cur tam paucos adduxisti? 30
- PUER. At multi ubi erant? Quin nec paucis illis, quibus-  
cum congressus sum, ut me sequerentur, persuadere  
potui.
- ECKIUS. Cur ita?
- PUER. Cur ita? Quia omnes tergiversabantur ac confe- 5  
stim ad nomen tuum quasi nausea corripere videbantur.  
Ideo nec orando nec obsecrando quid efficere potui.
- ECKIUS. Et quid praetendebant?
- PUER. Alius aliud, omnes tamen quassato capite tritum  
illud decantabant, ὅτι 10  
πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.
- ECKIUS. Φεῦ, et hoc, postquam ex Lipsica disputatione  
gloriosior quam umquam redierim!
- PUER. Gloriosior an odiosior, tute videris.
- ECKIUS. Pessimis igitur despiciatum me modis asseris? 15
- PUER. Hariolare.
- ECKIUS. Sed non impune ferent, quod me subdola huc-  
usque lactarunt amicitia, nunc vero ludis ludificant  
ludificabilibus. Cum praesentibus tamen rem nostram  
agemus. Sed prius cantharum, ut post somnum oculos 20  
abluam.
- PUER. Palatum, ut videtur.
- ECKIUS. O suavissimum curarum levamen! Salvete,  
amici.
- AMICI. Et tu quoque salvus sis, magister noster. Ut 25  
vales?
- ECKIUS. Ut cernitis; nisi enim canthari huius subsidio  
recreatus fuisset, iam pridem in Orci connumerarer  
familia; tot tantasque aerumnas exigo.
- AMICI. Pro, quanta humani generis iactura! Quodsi res 30
- PUER. At multi ubi erant? Quin nec paucis illis, quibus-  
cum congressus sum, ut me sequerentur, persuadere  
potui.
- ECKIUS. Cur ita?
- PUER. Cur ita? Quia omnes tergiversabantur ac confe- 5  
stim ad nomen tuum quasi nausea corripere videbantur.  
Ideo nec orando nec obsecrando quid efficere potui.
- ECKIUS. Et quid praetendebant?
- PUER. Alius aliud, omnes tamen quassato capite tritum  
illud decantabant, ὅτι 10  
πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.
- ECKIUS. Φεῦ, et hoc, postquam ex Lipsica disputatione  
gloriosior quam umquam redierim!
- PUER. Gloriosior an odiosior, tute videris.
- ECKIUS. Pessimis igitur despiciatum me modis asseris? 15
- PUER. Hariolare.
- ECKIUS. Sed non impune ferent, quod me subdola huc-  
usque lactarunt amicitia, nunc vero ludis ludificant  
ludificabilibus. Cum praesentibus tamen rem nostram  
agemus. Sed prius cantharum, ut post somnum oculos 20  
abluam.
- PUER. Palatum, ut videtur.
- ECKIUS. O suavissimum curarum levamen! Salvete,  
amici.
- AMICI. Et tu quoque salvus sis, magister noster. Ut 25  
vales?
- ECKIUS. Ut cernitis; nisi enim canthari huius subsidio  
recreatus fuisset, iam pridem in Orci connumerarer  
familia; tot tantasque aerumnas exigo.
- AMICI. Pro, quanta humani generis iactura! Quodsi res 30

Syllabus Pii IX, seu Collectio errorum in diversis Actis Pii IX  
proscriptorum, editus 8. Dec. 1864.

Pius IX *Epistolae* suae *encycl. "Quanta cura"* errores suorum temporum profliganti eodem die 8. Dec. 1864 addi curavit compilationem 80 propositionum reprobandarum, quas in variis documentis (infra in indice relatis) notaverat. Valor singularum propositionum dimittendus est secundum valorem fontis (Ep. *encycl.*, Litt. Ap., Alloc.), cuius etiam contextus respici debet, ut earum sensus praecisus inveniatur. Patet, quasdam propositiones indolis magis iuridicae vel ecclesiastico-politicae nimium condicionibus illius temporis debitas esse. Exaratus est ille *Syllabus* a collegio cardinalium, qui praecipue usi sunt *Instructione pastorali* episcopi Perpinianensis (Perpignan) Gerbert (1860), cuius 85 propositiones, contractae ad 61, in *Syllabo* redeunt. Sed iam a card. Ioach. Pecci (fut. Leo XIII) et a nuntio Ap. Vindobonensi inspiratus, Pius IX de tali *Syllabo* una cum definitione Immaculatae Conceptionis edendo cogitabat; sed tum temporis perfici non potuit.  
Ed: ASS 3 (1867/68) 168ss / ASyll pg. IX ss / Pii IX Acta 1/III, 701ss / Katholik 45/1 (1865) 13ss.

#### Propositiones Syllabi

(Siglis 1' - 32' additis ad singulas propositiones remittitur ad praecedentem indicem Actorum)

#### § I. Pantheismus, naturalismus et rationalismus absolutus

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit, ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et ideo immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et iustum cum iniusto (26').

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum (26').

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit (26').

4. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscunque generis veritatum assequi possit ac debeat (1' 17' 26').

5. Divina revelatio est imperfecta et ideo subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressui respondeat (1' 26').

6. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni (1' 26').

7. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio (1' 26').

#### § II. Rationalismus moderatus

8. Cum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, ideo theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt (13').

9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculpta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditoribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint (27' 30' [vd. \*2878]).

10. Cum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati (27' 30' [vd. \*2856]).

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam umquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat (27' [vd. \*2860]).

12. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt (30' [vd. \*2875]).

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt (30' [vd. \*2876]).

14. Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione (30').

#### § III. Indifferentismus, latitudinarismus

15. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit (8' 26').

16. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt (1' 3' 17').

17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur (13' 28' [vd. \*2865' 2865ss]).

18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aequae ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est (5').

#### § IV. Socialismus, communismus, societates clandestinae, biblicae, clerico-liberales

... reprobantur in 1' 4' 5' 13' 28'.

#### § V. Errores de Ecclesia eiusque iuribus

19. Ecclesia non est vera perfecta que societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat (13' 23' 26').

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civili gubernii venia et assensu (25').

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicam Ecclesiae esse unice veram religionem (8').

22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur (30' [vd. \*2879]).

23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura principum usurparunt atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt (8').

24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (9').

25. Praeter potestatem episcopatus inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio (9').

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi (18' 29').

27. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi (26').

28. Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas Litteras promulgare (18').

29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae (18').

30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit (8').

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede (12' 18').

32. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta (32').

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologiarum rerum doctrinam (30').

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia doctrina est, quae medio aevo praecaluit (9').

35. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri (9').

36. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest (9').

37. Institui possunt nationales ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae (23' 24').

38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt (9').

#### § VI. Errores de societate civili tum in se tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata

39. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus (26').

40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur (1' [vd. \*2775] 4').

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant "exsequatur", sed etiam ius "appellationis", quam nuncupant, "ab abusu" (9').

42. In conflictu laicum utriusque potestatis ius civile praevalet (9').

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solennes conventiones (vulgo "Concordata") super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas sine huius consensu, immo et ea reclamante (7' 23').

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinarum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere (7' 26').

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius reipublicae instituitur, episcopalis dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuiuscunque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in gradu collatione, in delectu aut approbatione magistrorum (7' 10').

46. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subicitur (18').

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim (31').

48. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta; quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet (31').

49. Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communent (26').

4. De superbia Graecorum contra Latinos

CONCILIVM LATERANENSE IV

Licet Graecos in diebus nostris ad obedientiam sedis apostolicae reverentes, fovere et honorare velimus, mores ac ritus eorum<sup>d</sup>, quantum cum Domino<sup>e</sup> possumus, sustinendo, in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati. Postquam enim Graecorum ecclesia cum quibusdam complicitibus ac fautoribus suis ab obedientia sedis apostolicae se subtraxit, in tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, quod inter alia quae in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrasset altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata lavissent; baptizatos etiam a Latinis et ipsi Graeci rebaptizare ausu temerario praesumebant et adhuc, sicut accepimus, quidam agere non verentur. Volentes ergo tantum ab ecclesia Dei scandalum amovere, sacro suadente concilio districte praecipimus, ut talia de cetero non praesumant, conformantes se tamquam obedientiae filii sacrosanctae Romanae ecclesiae matri suae, ut sit *unum ovile et unus pastor*<sup>1</sup>. Si quis autem quid<sup>a</sup> tale praesumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio et beneficio ecclesiastico deponatur.<sup>2</sup>

68. Ut Iudaei discernantur a christianis in habitu

In nonnullis provinciis a christianis Iudaeos seu Saracenos habitus distinguit diversitas, sed in quibusdam sic quaedam inolevit confusio, ut nulla differentia discernantur. Unde contingit interdum, quod per errorem christiani Iudaeorum seu Saracenorum et Iudaei seu Saraceni christianorum mulieribus commisceantur. Ne igitur tam damnatae commixtionis excessus per velamentum erroris huiusmodi excusationis ulterius possint habere diffugium, statuimus ut tales utriusque sexus in omni christianorum provincia et omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur, cum etiam per Moysen hoc ipsum legatur eis iniunctum<sup>3</sup>. In diebus autem lamentationis<sup>4</sup> et dominicae passionis, in publicum minime prodeant, eo quod nonnulli ex ipsis talibus diebus, sicut accepimus, ornatus non erubescunt incedere ac christianis, qui sacratissimae passionis memoriam exhibentes lamentationis<sup>5</sup> signa praetendunt, illudere non formidant. Illud autem districtissime inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris prosilire aliquatenus praesumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit, praecipimus praesumptores huiusmodi per principes saeculares condignae animadversionis adiectione compesci, ne crucifixum pro nobis praesumant aliquatenus blasphemare.<sup>6</sup>

69. Ne Iudaei publicis officiis proficiantur

Cum sit nimis absurdum, ut Christi blasphemus in christianos vim potestatis exerceat, quod super hoc Tolctanum concilium<sup>7</sup> provide statuit, nos propter transgressorum audaciam in hoc capitulo<sup>b</sup> innovamus, prohibentes ne Iudaei officiis publicis praeferrantur, quoniam sub tali praetextu christianis plurimum sunt infesti. Si quis autem officium eis tale commiserit, per provinciale concilium, quod singulis praecipimus annis celebrari, monitione praemissa, distractione qua convenit compescatur. Officiali vero huiusmodi tamdiu christianorum communio in commerciis et aliis denegetur, donec in usus pauperum christianorum, secundum providentiam dioecesanam episcopi, convertatur quicquid fuerit adeptus a christianis, occasione officii sic suscepti, et officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos.<sup>8</sup>

14. De incontinentia clericorum punienda

Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, praesertim in sacris ordinibus consituti, ab omni libidinis vitio praevalescentes, maxime illo propter quod *ira Dei venit de coelo in filios dissolutiae*<sup>9</sup>, quatenus in conspectu Dei omnipotentis puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi, statuimus ut qui deprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius et districtius praecipimus observari, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem poena a peccato cohibeat. Si quis igitur, hac de causa suspensus, divina celebrare praesumpserit, non solum ecclesiasticis beneficiis spoliatur, verum etiam pro hac duplici culpa perpetuo deponatur. Praelati vero qui tales praesumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniae vel alterius commodi temporalis, pari subiacent ultioni. Qui autem secundum regionis<sup>c</sup> suae morem non abdicaverint copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio possint uti.<sup>2</sup>

[71.] Expeditio pro recuperanda Terra sancta

Ad liberandam Terram sanctam de manibus impiorum, ardenti desiderio aspirantes, de prudentum virorum consilio, qui plene noverant circumstantias temporum et locorum, sacro approbante concilio diffinimus, ut ita crucesignati se praeparent, quod in calendis iunii sequentis post proximum omnes qui disposerunt transire per mare convenient in regnum Siciliae; alii sicut oportuerit et decuerit, apud Brundisium et alii apud Messanam et partes utrobique vicinas, ubi et nos personaliter Domino annuente disposuimus tunc adesse, quatenus nostro consilio et auxilio exercitus christianus salubriter ordinetur, cum benedictione divina et apostolica profecturus. Ad eundem quoque terminum se studeant praeparare, qui proposuerunt per terram proficisci. Significaturi hoc interim nobis, ut eis ad consilium et auxilium legatum idoneum de nostro latere concedamus. Sacerdotes autem et alii clerici, qui fuerint in exercitu christiano, tam subditi quam praelati, orationi et exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter et exemplo, ut timorem et amorem semper habeant divinum ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod divinam maiestatem offendat. Et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram poenitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis et corporis, et tam in victu quam in vestitu mediocritatem servantes, dissensiones et emulationes omnino vitando, rancore ac livore a se penitus relegatis, ut sic spiritualibus et materialibus armis muniti, adversus hostes fidei securius praeliantur, non de sua praesumentes potentia, sed de divina virtute sperantes.

15. De arcenda ebrietate clericorum

A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent et se vino, nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas et<sup>d</sup> mentis inducat exilium et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus aequales suo modo se obligant potatores, et ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat et calices faccundiores exhaurit. Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore comunitus satisfecerit competenter, a beneficio vel officio suspendatur. Venationem et aucupationem universis clericis interdiciamus, unde nec canes nec aves ad aucupandum habere praesumant.<sup>1</sup>

16. De indumentis clericorum

Clerici officia vel commercia saecularia non exercent, maxime inhonesta, mimis, ioculatoribus et histrionibus non intendant et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti; ad alas vel taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint<sup>2</sup>. Coronam et tonsuram habeant congruentem et se in officiis divinis et aliis bonis exercent studiis diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda; pannis rubeis aut viridibus necnon manicis aut sorularibus<sup>3</sup> consuticiis seu rostratis, frenis, sellis, pectoralibus et calcariibus deauratis, aur aliam superfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad divinum officium intra ecclesiam non<sup>4</sup> gerant, sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti, nisi iusti causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec anulos, nisi quibus competit ex officio dignitas. Pontifices autem in publico et in ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem; palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum vel ante pectus hinc inde connexis.<sup>5</sup>

66. De eadem circa cupiditatem clericorum

Ad apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro exequiis mortuorum et benedictionibus<sup>6</sup> nubentium et similibus pecuniam exigunt et extorquent; et si forte cupiditati eorum non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento haereticae pravitate nituntur infringere, sub praetextu canonicae pietatis. Quapropter et pravas exactiones super his fieri prohibemus et pias consuetudines praecipimus observari, statuentes ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed per episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.<sup>4</sup>

11. De magistris scolasticis

Quia nonnullis propter inopiam et legendi studium et opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi concilio<sup>7</sup> pia fuit institutione provisum, ut „per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesiae aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium praebetur, quo et docentis relevaretur necessitas et via pateret discentibus ad doctrinam“. Verum quoniam in multis ecclesiis id minime observatur, nos praedictum roborantes statutum, adieimus ut non solum in qualibet cathedrali ecclesia sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus a praelato, cum capitulo seu maiori ac saniori parte capituli eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum et aliarum gratis in grammatica facultate ac aliis instruat iuxta posse. Sane metropolitana ecclesia theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes et alios in sacra pagina doceat et in his praesertim informet, quae ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum a capitulo unius praebendae proventus, et pro<sup>8</sup> theologo<sup>9</sup> a metropolitano tantundem, non quod<sup>b</sup> per<sup>b</sup> hoc efficiatur canonicus, sed tamdiu redditus ipsius<sup>c</sup> percipiat, quamdiu persistit in docendo. Quod si forte de duobus magistris<sup>2</sup> metropolitana ecclesia gravetur, theologo iuxta modum praedictum ipsa provideat, grammatico vero in alia ecclesia suae civitatis sive dioecesis, quod sufficere valeat, faciat provideri.<sup>3</sup>

63. De simonia

Sicut pro certo didicimus, in plerisque locis et a plurimis personis quasi columbas in templo vendentibus<sup>4</sup>, fiunt exactiones et<sup>c</sup> extorsiones<sup>5</sup> turpes et pravae, pro consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum et ordinibus clericorum, estque taxatum, quantum sit isti vel illi quantumve alteri vel alii persolvendum, et ad cumulum damnationis maioris quidam turpitudinem et pravitatem huiusmodi nituntur defendere, per consuetudinem longo tempore observatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem huiusmodi, quae magis dicenda est corruptela, penitus reprobamus, firmiter statuentes, ut pro iis sive conferendis sive collatis, nemo aliquid quocumque praetextu exigere ac extorquere praesumat; alioquin et qui receperit et qui dederit huiusmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi<sup>6</sup> et Simone<sup>7</sup> condemnentur.<sup>5</sup>

13. De novis religionibus prohibitis

Ne nimia religionum<sup>8</sup> diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem<sup>9</sup> inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat, sed quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam<sup>6</sup> domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere praesumat, nec unus abbas pluribus monasteriis praesidere.<sup>1</sup>



7. **I** N paradí sum \* dedúcant te Ange-li : in tú-o ad-  
vén-tu suscí-pi-ant te Márty-res, et perdúcant te in ci-  
vi-tá-tem sánctam Je-rúsa-lem. Chórus Ange-lórum te  
su-scí-pi-at, et cum Lázaro quondam páupe-re aetér-  
nam hábe-as réqui-em.

O filii et filiae

Al-le-lú-ia, Al-le-lú-ia, Al-le-lú-ia.

The Choir repeats : Alleluia.

1. O fi-li-i, et fi-li-ae, Rex cae-lé-stis, Rex gló-ri-  
ae, Mór-te sur-ré-xit hó-di-e, Al-le-lú-ia.

2. Et mane prima sabbati,  
Ad óstum monumenti  
Accesserunt discipuli.

3. Et Maria Magdalene,  
Et Jacóbi et Salóme,  
Venérunt córpus úngere.

Intr. 7. **P** U-er \* ná-tus est nó-bis, et fi-li-us dá-tus est  
nó-bis : cú-jus impé-ri-um super hú-me-rum é-  
jus : et vocá-bi-tur nó-men é- jus, mágni consi-  
li-i Ange-lus. Ps. Can-tá-te Dómino cánti-cum nó-  
vum : \* qui-a mi-rabí-li-a fé-cit. Gló-ri-a Pátri.

Ant. 6. **E** cce lí-gnum Crú-cia, in quo sá-lus mún-  
di pe-pén-dit. Ve-ní-te ad-o-  
ré-mus.

Adoro te

5. **A** Doro te devó-te, lá-tens Dé-i-tas, Quae sub his  
figú-ris ve-re lá-ti-tas : Tí-bi se cor mé-um tó-tum súbji-  
cit Qui-a te conté-plans tó-tum dé-fi-cit.

2. Visus, tactus, gústus in te fállitur,  
Sed audíto sólo tuto créditur :  
Crédo quidquid dixit Déi Fílius :  
Ní hoc vérbó veritátis vérius.  
3. In cruce, latébat sóla Déitas,  
At hic látet simul et humánitas :  
Ambo tamen crédens atque cónfítens,  
Péto quod petívit látro paénitens.  
4. Plágas, sicut Thómas, non intúeor  
Déum tamen méum te cónfíteor :  
Fac me tibi semper magis crédere,  
In te spem hábere, te díligere.  
5. O memoriále mórtis Dómini,  
Pánis vivus vítam praéstans hómini,  
Praésta méae ménti de te vívere,  
Et te illi semper dólorem

Ant. 1. **P** U-erí Hebrae-órum, \* portántes rámos o-livárum,  
obvi-avérunt Dómi-ne, clamán-tes, et dí-céntes : Hosán-  
na in excé-l-sis.

8. **A** L-le-lú-ia.  
He sings this Alleluia three times, each time in a higher tone of voice. The  
Choir repeats it after him each time, in the same tone

Comm. 7. **F** Actus est \* repén-te de caé-lo só-nus adve-ni-én-  
tis spí-ri-tus ve-heméntis, u-bi é-rant se-dén-tes : et  
replé-ti sunt ómnes Spí-ri-tu Sáncto, loquén-tes ma-  
gná-li-a Dé-i.

Da pacem, Domine

2. **D** A pacem, Dómine, \* in dí-é-bus nóstris : qui-a  
non est á-li-us qui púgnet pro nóbis, ní-si tu  
Dé-us nóster.

Y Fiat pax in virtute tua.  
B. Et abundantia in turribus tuis.

**A** -SPERGES me, \* Dómi-ne, hyssópo, et mundá-  
bor : lavá-bis me, et super ní-vem de- albá-bor.  
Ps. 50. Mi-se-ré-re mé-i, Dé-us, \* se-cúndum mágnam mi-  
se-ricórdi-am tú-am.

Sub tuum praesidium

Ant. 7. **S** UB tú-um praesí-di-um confú-gimus, \* sáncta  
Dé-i Génitrix : nóstras depre-ca-ti-ónes ne despí-ci-as  
in necessi-tá-tibus : sed a per-ícu-lis cúnc-tis lí-be-ra  
nos semper, Vírgo glo-ri-ó-sa et be-ne-dí-cta.

Comm. 5. **Q** UI suscé-rit \* ún-um parvu-lum tá-lem in nó-mi-  
ne

Ant. 8. **I** Umen \* ad reve-la-ti-ó-nem génti-um : et gló-ri-am  
plé-bis tú-ae Isra-el. Cant. Nunc dí-mí-ttis sérvum tú-um, Dó-  
mine, \* se-cúndum vérbum tú-um in pá-ce. Lúmen.  
The Choir repeats the Antiphon Lúmen This Antiphon is repeated after  
each verse of the Canticle, these verses being sung by the Cantors

Qui-a vidérunt ócu-li mé-i \* salu-tá-re tú-um. Lúmen.

Ave Maria

1. **A** -vé Ma-ri-a, \* grá-ti-a plé-na, Dóminus té-cum,  
benedí-cta tu in mu-li-é-ribus, et benedí-ctus fructus  
vént-ri-tú-i, Jé-sus. Sáncta Ma-ri-a, Má-ter Dé-i, ó-ra  
pro nó-bis pecca-tó-ribus, nunc et in hó-ra mórtis nó-  
strae.

Rorate caeli desuper

**R** Orá-te, caéli, de-super, et nubes plú-ant jú-ctum.  
Intr. 6. **R** Equi-em \* actér- nam dó-na é- is Dómi-  
ne : et lux perpé-tu-a lú-ce-at é- is.  
Ps. Te dé-cet hýmnus Dé-us in Sí-on, et tí-bi reddétur  
vótum in Jerúsa-lem : \* exáudi ora-ti-ó-nem mé-am, ad-  
te óm-nis cá-ro vé-ni-et. Ré-qui-em.

Ant. 6. **R** Egína caéli \* laetá-re, alle-lú-ia : Qui-a quem me-  
ru-ísti portá-re, alle-lú-ia : Resurréxít, sic-ut dí-xít, alle-  
lú-ia : Ora pro nó-bis Dé-um, alle-lú-ia.

Comm. 6. **E** cce sic be-nedi-cétur \* óm-nis hó-mo qui tí-met  
Dómi-num : et ví-de-as fi-li-os fi-li-ó-rum tu-ó-  
rum : pax su-per Isra-el. T. P. Alle-lú-ia.

## CAPVT XXIV.

De origine Pictura, & quis primus Colores  
invenit, aut Penicillo pinxerit.

**R**oximum est, ut post statuariam artem de picturae initiis primum dicatur, quando illa effigies rerum lignis, ebore, metallis, ut dictum est, fingit, hae imagines colorum varietate, aut lineamentis quibusdam similitudines reddens facit. Picturam itaque teste Plinio libro 7. Gyges Lydius omnium primus invenit in Aegypto: in Graecia vero Pyrrhus Dardali cognatus, ut Aristot. placet: ut Theophrast. Polygnotus Atheniensis: quod haudquaquam idem Plinius libro 35. cap. 9. approbare videtur, sic scribens: Sicut Polygnotus Thasius, qui primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturae primus contulit: siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Incerta igitur de picturae initiis quaestio est: nam & Aegyptii, eodem Plinio teste, ante sex millia annorum apud se inventam, quam in Graeciam transiret, affirmant. Graeci autem alii apud Sicyonis, alii apud Corinthios repertam dicunt: omnes ab umbra hominis lineis circumducta. Quod Fabius aperte testatur in 20. dicens: Non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrarum, quam corpora in Sole fecissent, circumferberet: ac si omnia percenscas, nulla sit ars, qualis inventa est, nec intra initium stetit. Quintilianus habet. Talis itaque prima fuit pictura. Altera singulis coloribus, postea operosior inventa est, duratque talis etiamnum. Linearis, ut Plinius in 35. tradit, à Philocle Aegypto, vel à Cleanthe Corinthio inventa est. Primi eam Ardicus Corinthius & Telephanes Sicyonius exercuerunt, sine ullo etiam colore. Cleophantus Corinthius colores invenit, idem auctor. Penicillo gloriam primus Apollodorus Atheniensis contulit. In hac illustres fuerunt Timagoras Chalcidensis, Pychis, deinde Polygnotus, Aglaophon: alii quoque post hos, de quibus Plinius & Fabius Quintil in 12. affatim scribunt, quos studio brevitas omitto, cum praesertim tale minimè sit instituti operis munus. Non sileo tamen de civitate meo, qui nobis suam industriam & ingenio picturam velut de integro in praesentia restituit, atque illos, qui in ea olim maximè claruere graviter vel arte refert, vel peritiam aequat, adeo proprios ducit de coloribus vultus. Is est Raphael cognomine Sanctus, undè ejus quoque metiri posses & mores & vitam.

## CAPVT IX.

Quis primus Memoriae artem monstraverit,  
aut qui ejusdem gloriam a deo sinit.

**R**oximum est, ut de Memoria dicatur, qua, ut Fabius ait, omnis disciplina constat, quae & necessarium maximè est vitae bonum, & unicus eloquentiae thesaurus. Hujus ars, Plinio in 7. & Quintil. in 11. auctoribus, à Simonide Melico primum inventa est, quae in re multum valuit. Nam cum aliquando in Thessalia, teste Cicer. de Orat. epularetur apud Scopam nobilem virum, & nuntiatum esset ei, ut prodiret ad duos juvenes ante januam stantes, contigit ut hoc interim spatio conclave conruerit, ac eam ruinam adeo convivia omnes contriis fuerint, ut non possent inter nosci à suis, qui humare, eos vellent. Tum dicitur Simonides, ex eo quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Ac ita videtur memoriam valde juvari signatis animo sedibus, aut murato annulo, qui non moneat, cur id fecerimus, quod ipse Fabius late prosequitur. Memoria autem plurimis praecipua fuit, ut Plinius & Solinus auctores sunt. Cyrus enim Rex Persarum omnibus in exercitu suo militibus nomina reddidit: Cineas Pyrrhi regis legatus, postero die quam Romam advenerat, utriusque ordinis viros nominatim appellavit: Mithridati regi dux & viginti linguarum (tot enim nationibus imperavit) traduntur notae fuisse. Caesarem vero scribere & legere simul, dictare & audire solitum accepimus. Idem etiam, teste Spartiano, Hadrianus Imperator facere consuevit,

De

RERVM INVENTORIBVS  
LIBRI VIII.

## CAP. II.

De initiis rerum.

**R**ati nostri operis exordium esse videbatur, ut primum de rerum initiis dicerem, deinde vero, ut deorum originem traderem, qui ab iisdem principiis, ut ostendimus, ortum habent: veri tamen Dei religio me movit, fecitque, ut ab eo qui ante omnia est, hoc opus inchoare maluerim. Hoc igitur loco aliquanto rationabilius philosophorum de rerum primordiis sententias, donec ad veritatem me sensim insinuavero, percurreremus. Thales itaque Milesius unus ex septem sapientibus, Aquam (sicut supra demonstravimus) dixit esse initium rerum. Deumque esse eam mentem, quae ex aqua cuncta gigneret. Contra Hippasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesus, qui propter obscuritatem scripturae, teste divo Hieronymo contra Iovinianum, à Graecis ἀσχετοί, id est, tenebrosus est appellatus, omnia igne procreari censuerunt. Empedocles vero ex quatuor elementis. Hinc Lucretius,

Ex imbro, terra, atque anima nascuntur, &amp; igne.

Anaximenes principium Aera opinatur. Metrodorus: Cibus sempiternum esse universum dicit. Epicurus autem, qui ex Democriti fontibus suos hortos irrigavit, ponit duo principia, Corpus & Inane: omne enim quod est, aut continet, aut continetur. Corpus vult esse atomos, id est, quaedam minutissimas partes, quae non recipiant sectionem non recipiant. Unde at omni dicitur sunt,

quas insulis per fenestram solaribus radiis, videmus. Inane vero dicit spacium, in quo sunt atomi. Ex his principiis quatuor ignem, aeren, aquam, terram vult creari, & ex illis cetera. Ex quo Maro in Sileno ait:

Namque caecabat, uti magnum per inane coacta  
Semina terrarumque, animaeque, marisque fuissent,  
Et liquidi simul ignis, ut his exordia primis  
Omnia, & ipsi tenet mundi concreverit orbis.

De philosophorum sententiis haec dicta sunt: ea nunc quae sacris continentur literis, prodamus, ne rationis aut veritatis expertes esse videamur. Deus igitur ab initio, uti Moses testatur, & ex eo Iosephus in primo Antiquitatum Iudaicarum plenissime edocet, ex nihilo cuncta fecit. Ioannes quoque Euangelista: Omnia per ipsum facta sunt. Id quod Lactantius Firmianus lib. Divinarum institut. 2. perspicue demonstrat, scribens: Nemo quareat ex quibus ista materiis, tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit, omnia enim fecit ex nihilo. Et alibi: Deus autem facit ex eo quod non est. Et in lib. de ira Dei: Unus est igitur, inquit, princeps & origo rerum Deus. Et divus Hieron. Quis dubitat Deum omnium creatorem? Idem Plato in Timaeo sensit & docuit. Atque tale rerum denique omnium verum principium fuit, unde geniti homines multa, quae ad usum vitae pertinent, deinde advenerunt. De quibus cum ego scripturus sum, operum precium me fecisse duco, primum rerum originem prodidisse, ut intelligeretur, unde materia orta esset, ex qua homines, qui ex eo quod est faciunt, aliquid effinxerint.

## CAPVT VIII.

De primo usum scribendi apud Priscos, etiam  
per notas, & quando primum inventa  
Charta, vel Membrana.

Nte usum chartarum, quo maximè humanitas vitae constat & memoria, palmarum foliis, teste Plin. in 12. Naturalis historia, primo scriptitatum est. Vergilius in sexto.

Folii tantum ne nomina manda.

Deinde quarundam arborum libris postea publica monumenta plumbeis voluminibus, inde & privata linteis conficere coeperunt, deinde ceris: nam pugillarum usum ante Trojana tempora fuisse testatur Homerus. Papyrus autem post Alexandri Magni victoriam, condita in Aegypto Alexandria, M. Varr. auctor est, ante Chartarum usum ab eo rege inventam esse quae fiebat ex frutice, qui nascitur in paludibus Aegypti. Verum contra Varrodem, qui chartarum usum non nisi conditam in Aegypto Alexandria fuisse scribit, Plinius Cassii Heminae annalium scriptoris auctoritatem adducit. Ille enim tradit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa Rex situs fuerat, & in eadem libros eius repertos, qui charta erant. Nam Magnus Alexander amplius recentis annis post Numam fuit, qui Alexandriam, auctore Liv. lib. 8. eo anno in Aegypto posuit, qui fuit Urbis conditae ccccxviii. L. Papyro Mugillano sive Cursore, C. Pztilio Galbo eos. Ceterum Livius in decimo de bello Macedonico, à Cassio dissentit, scribens duas arcas lapideas, oedonos ferme pedes longas, non unam, repertas à fossoribus in agro L. Pztilii scribae, non Cn. Terentii. & in altera earum sepultum fuisse Numam, in altera vero eos libros inventos, de quibus loquimur. Idem etiam Lactantius affirmat, & Plutarchus in vita Numa. Postea vero id genus chartae inventum est, quo nunc passim utimur, cujus auctor haud palam est. Haec autem fit ex linteolis contritis: nihilominus tamen papyri nomen à frutice sumptum, veluti chartae ab urbe Tyri retinet, Membranas à rectu membrorum nominatas (est enim proprie ipsum corium) Varto scribit per aemulationem, circa Bibliothecas Ptolemaei & Eumenis regum, Pergami inventas fuisse, undè vulgò Pergamenae vocantur.

LAURENTIUS. Vide quam acqua postules, qui iubes me vel dam-  
nando, vel emendando, Boethio contumeliam facere.

ANTONIUS. Numquid tu vocas contumeliam, veram de altero sen-  
tentiam ferre, vel eiusdem obscurius dicta apertius interpretari?

LAURENTIUS. Atqui odiosum est hoc in magnos viros fa-  
cere.

ANTONIUS. Odiosius certe non monstrare viam erranti, et ei ut  
monstrares oranti.

LAURENTIUS. Quid, si viam ignoro?

ANTONIUS. Istud est nolentis monstrare viam, dicere «viam igno-  
ro»; quare noli recusare iudicium tuum aperire.

LAURENTIUS. Quid, si dicam me tecum sentire de Boethio, tecum-  
que illum non intelligere, nec aliquid praeterea habere quo hanc  
quaestionem explicem?

ANTONIUS. Si hoc vere dicis, non ita vecors sum, ut abs te plus  
petam quam praestare potes: sed cave ne parum sis functus officio  
amici, si erga me fastidiosum te et mendacem praebas.

LAURENTIUS. Quid istuc est quod tibi explicari postulas?

ANTONIUS. Numquid praescientia Dei obstet libertati arbitrii, et  
an de hac quaestione recte Boethius disputaverit.

LAURENTIUS. De Boethio postea videro, quod si ego tibi in hoc  
satisfecero, volo sponsionem facias.

ANTONIUS. Quam tandem sponsionem?

LAURENTIUS. Ut si te laute accepero in hoc prandio, ne iterum  
accipi velis in cena.

ANTONIUS. Quod mihi prandium aut quam cenam praedicas? non  
enim intelligo.

LAURENTIUS. Ut sis contentus hac una quaestione discussa, nec  
alteram postea adicias.

ANTONIUS. Alteram, inquis? quasi vero non satis superque [satis]  
haec una sit. Quare libenter sponsionem tibi facio nullam abs  
te cenam me esse petiturum.

LAURENTIUS. Age igitur, ipsam profer in medium quaestionem.

ANTONIUS. Probe admones. Si Deus futura providit, aliter non  
potest evenire quam ille providerit. Veluti si Iudam praevarica-  
torem vidit fore, impossibile est hunc non praevaricatum esse,  
id est necesse est Iudam praevaricari, nisi, quod absit, Deum carere  
providentia volumus. Hoc cum ita sit, nimirum censendum est  
genus humanum non habere in sua potestate arbitrii libertatem;

ANTONIUS. Naturalia sunt ista et eundem cursum semper cur-  
rentia: ego autem loquor de voluntariis.

LAURENTIUS. Quid ais de fortuitis? possuntne a Deo provideri,  
praeterquam quod illis necessitas afferatur? ut forte hodie pluat,  
aut thesaurum inveniam, concedisne haec sine ulla necessitate  
posse praesciri?

ANTONIUS. Quidni concedam? putasne ita me male sentire de Deo?  
LAURENTIUS. Vide ne male sentias, cum dicas bene sentire. Nam  
si hoc concedis, cur dubitas de voluntariis? Utraque enim in utram-  
libet partem cadere possunt.

ANTONIUS. Non ita res est: illa namque fortuita suam quandam  
naturam sequuntur, ideoque et medici et nautae et agricolae solent  
multa providere, cum ex antecedentibus colligant sequentia, quod  
in voluntariis fieri non potest: vaticinare tu utrum ego pedem  
priorem moveam, utrumlibet dixeris mentiturus, cum alterum  
moturus sim.

LAURENTIUS. Quis, quaeso, unquam tam argutus inventus est, ut  
hic Glarea? qui se Deo putet posse imponere, more illius qui apud  
Esopum viveretne passer quem sub pallio tenebat an mortuus esset  
Apollinem decipiendi gratia consuluit. Non enim mihi dixisti «va-  
ticipinare», sed Deo. Ego quidem nec si bona vindemia erit, id quod  
tu agricolis tribuis, vaticinari possum. Sed Deum nescire utrum  
pedem moturus sis priorem dicens, atque ita sentiens magno te  
piaculo obstringis.

ANTONIUS. An existimas me aliquid affirmare, ac non disputandi  
gratia quaerere? Ceterum tu videris tergiversari ista oratione et  
quasi de gradu deiectionum pugnam detrectare.

LAURENTIUS. Quasi ego victoriae causa pugnam potiusquam veri-  
tatis; ac vide quam sim de gradu deiectionum: dasne nosse Deum nunc  
voluntatem tuam, vel melius quam tute ipse?

ANTONIUS. Do vero.

LAURENTIUS. Des illud quoque necesse est, te non aliud acturum  
esse quam quod voluntas feret.

ANTONIUS. Ita sane.

LAURENTIUS. Quomodo ergo ille ignorare potest actionem, si novit  
voluntatem, qui est fons actionis?

ANTONIUS. Nihil minus: nam neque ipse scio quid facturus sim,  
licet quid voluntatis habeam sciam. Non enim volo hunc vel hunc  
pedem utique movere, sed alterum quam quem ille enunciaverit.  
Itaque, si me comparas Deo, ut ego quid acturus sim nescio, ita  
ipse nescit.

LAURENTIUS. Ecquid negotii est isti tuae captioni occurrere? Novit  
te ille paratum respondere aliter quam ipse enunciaturus est, et  
moturum sinistram priorem, si ab eo nominatus sit dexter: utrum-  
cumque ergo dicet, compertum sibi est quid eventurum sit.

ANTONIUS. Utrum autem dicturus est?

LAURENTIUS. De Deo loqueris? fac me nosse tuam voluntatem, et  
pronunciabo quid eventurum sit.

ANTONIUS. Age scias meam voluntatem.

LAURENTIUS. Movebis priorem dextrum.

ANTONIUS. En tibi sinistram.

LAURENTIUS. Numquid igitur praescientiam meam falsam esse do-  
cuisti, qui te moturum esse sinistram sciebam?

ANTONIUS. Cur ergo aliud dixisti quam sentires?

LAURENTIUS. Ut te tuis artibus fallerem, et decipere volentem de-  
ciperem.

ANTONIUS. At Deus ipse in respondendo non mentiretur, nec fal-  
leret: neque tu recte facis respondens pro altero quod ille non  
responderet.

LAURENTIUS. Nonne dixisti mihi «vaticinare»? non igitur debui  
respondere pro Deo, sed pro me quem rogaras.

ANTONIUS. Ut versipellis es, paulo ante dicebas me Deo dixisse  
«vaticinare», non tibi, nunc contra loqueris. Respondeat Deus  
utrum pedem moturus sis priorem.

LAURENTIUS. Ridiculum, quasi tibi ille sit responsurus.

ANTONIUS. Quid? si vellet possetne vere respondere?

LAURENTIUS. Immo posset mentiri quae veritas est.

ANTONIUS. Quid responderet igitur?

LAURENTIUS. Certe quod acturus esses, sed te tamen non audiente,  
diceret mihi, diceret uni istorum, diceret pluribus: quod cum fe-  
cisset, putasne vera praedicturum?

ANTONIUS. Immo vero praedicturum vera, sed quid putas si mihi  
praediceret?

LAURENTIUS. Mihi crede, tu qui sic aucuparis Deum fallere, si  
audires, aut certe scires quid te acturum diceret, vel caritate, vel  
terrore instinctus, festinans agere quod ab eo scires esse praedic-  
tum. Sed haec omittamus, quae nihil ad praescientiam pertinent.  
Aliud est enim praescire, aliud praedicere futura. Loquere si quid  
habet de praescientia, relicta praedictione.

ANTONIUS. Non modo iniuste, sed nequaquam sic responderet.

LAURENTIUS. Quomodo igitur?

ANTONIUS. Ipse dicas.

LAURENTIUS. Nonne hoc modo? «Ego, quidem tibi, sancte Apollo,  
gratias ago, qui me neque mendacio decepisti, neque silentio asper-  
natus es. Sed hoc idem, quaeso, responde, cur tam iniquus in me,  
tam crudelis est Iupiter, ut sic tristia mihi fata assignet immerenti,  
innoxio deorum cultori?»

ANTONIUS. Profecto hoc modo ego, si forem Sextus, Apollini re-  
sponderem; quid autem ipse contra Apollo?

LAURENTIUS. «Immerentem te atque innoxium vocas, Sexte? ne  
erres, scelera quae admissurus es in culpa sunt, adulteria, prodi-  
tiones, periuria, et velut hereditarium tibi superbia»: an hic Sex-  
tus dicat: «Tibi potius scelorum meorum adscribenda est culpa;  
necesse est enim me peccare, quem tu peccatum esse praescisti?»

ANTONIUS. Insanus sit, si ita respondeat Sextus, non solum in-  
iustus.

LAURENTIUS. Numquid tu aliquid habes, quod pro illo loquaris?

ANTONIUS. Nihil prorsus.

LAURENTIUS. Si nihil ergo habet Sextus quod de praescientia Apol-  
linis causetur, profecto nec Iudas habet quod incuset praescien-  
tiam Dei. Quod cum ita sit, nimirum tuae quaestioni satisfactum  
est, qua te turbare confundique dicebas.

ANTONIUS. Satisfactum vero et, quod vix sperare audebam, plane  
persolutum, quo nomine et ago tibi et habeo gratias, prope di-  
xerim, immortales. Nam quod Boethius mihi praestare non potuit,  
tu praestitisti.

LAURENTIUS. Et nunc idem operam do ut de illo aliquid dicam,  
quod et te expectare scio, et me pollicitus sum facturum.

ANTONIUS. An est quod de Boethio dicas? gratum mihi erit iucun-  
dumque.

LAURENTIUS. Servemus tenorem fabulae institutae. Tu nihil exi-  
stimas Sextum habere quod respondeat Apollini; interrogo te quid  
diceres adversus regem abnuentem se deferre ad te munus aut  
magistratum, quod diceret capitalia te in eo munere flagitia ad-  
missurum.